

ΣΥΝ ΘΕΩ.

DE

Priscæ & primitivæ Ecclesiæ
SACRIS PVBLICIS,
TEMPLIS ET DIE-
BUS FESTIS

ENCHIRIDION

collectum

Opera atque studio

M. JOACHIMI HILDEBRANDI,



HELMESTADII,
Typis & sumptibus HENNINGI MÜLLERI,

Anno C1812.

TH 029



Hieron. epist. CLII.

Meum propositum est antiquos
legere, probare singula, retinere,
quæ bona sunt, & à fide Catholica
nunquam recedere.



SERENISSIMORUM CELSISSI-
MORUMQUE
BRUNSVICENSIVM ET LUNE-
BURGENSIVM DUCVM
ILLVSTRIBVS
MAGNIFICIS, GENEROSIS, PRÆNO-
BILIBVS, CONSULTISSIMISQVE
DOMINIS

LEGATIS

NEC NON
INCLVTORVM ORDINVM
PROCERIBVS,
ACADEMIÆ IVLIÆ VISITATORIBVS,
OMNIBVS ET SINGVLIS,
MÆCENATIBVS MEIS ET PROMO-
TORIBVS MAGNIS

S. D.

M. IOACHIMVS HILDEBRANDVS
WALKENRENSIS.



Vod VOBIS, Illustres Dnn.

Legati & Generosi Proceres, Mæce-
nates

):(2

nates Magni, ad almam hanc Juliam venientibus offero, Calabri quasi hospitis, vel Sinætæ Persæ, quod suo ille Regi, ne ἀδωρῶς ἀδελφῆς adeflet, obtulit, munusculum est, Enchiridion videlicet SS. Antiquitatum, in quo Ordinem veterum Sacrorum è quintuplici exercitio, Precibus, Hymnis, Lectionibus, S. Tractatibus & Communionem vel Missa fidelium constantem ὡς ἐν τύπῳ exposui. Dico ὡς ἐν τύπῳ: nam peculiarem de singulis istis libellum, quem jam texui, opusculo huic annectere per inopiam temporis nondum licuit. Expositis Sacris in veterum cryptas, Cœmeteria, Basilicas, Tempa & Sacella me recondidi horumque elegantem structuram contemplatus tempora quoque annotavi, dies præcipuè dominicos totoque anno festos, vigiliis & Sanctorum Natales, quibus Sacra ad pulsus lignorum vel campanæ prisce egerunt. Animo nimirum meo ea semper stetit sententia, in Studiis Theologicis aliquid operæ pretium præstituro, non Linguarum tantum, præsertim Cardinalium nec solius Philosophiæ, sed vel maximè SS. Antiquitatum cognitionem necessariam esse. Unde amœnissimum Veteris Ecclesiæ viridarium

rium ingressus varios inde flosculos, apiculas
imitatus, quæ purissima mella stipant & liqui-
do distendunt nectare cellas, in privatos usus ex-
cerpsi. Sed mirâ hujus studii dulcedine alle-
ctus ad eundem fontem, unde lac & mel stil-
lare mihi videbantur, ex benigna Superiorum
concessione alios quoque manu quasi duxi.
Nec impetrare à me pro eo, quo in hæc studia
amore propendo, potui, quin Tyrocinium
aliquod publicæ nunc luci darem. Ratio, ob
quam Illustribus & Generosis Nominibus
Vestris id dedicarim, multiplex est nec singu-
las exprimere chartæ angustia patitur. Potio-
res autem duæ sunt. Prior, quod eâ ratione
de felici Adventu modestè Vobis gratulari, si-
mul etiam prosperum rerum in hac JULIA a-
gendarum Successum atque exoptatissimum
Eventum pio & publico voto comprecari
voluerim. Posterior me Patrocinii Vestri in-
digum tangit. Memini Serenissimos Vestros
Principes, hujus suæ Juliæ Nutritios Munifi-
centissimos, Dominos meos Clementissi-
mos, his præsertim, qui cum ortu sint subdi-
ti, Eruditionis atque probitatis suæ adferre
documenta possunt, Gratiam & Promotio-
nem

nem publico nuper edicto clementissimè de-
nunciasset. Ipse igitur, qui in duodecimum us-
que annum Studia Academica, cum primis in
hac Julia colui, honesta indeptus testimonia,
auctiorem Promotionis spem concepi & Stu-
diorum, quibus omnem substantiam meam
impendi, & si ita sit in fatis, immori velim,
præmium aliquod ex Gratia concessum iri
persuasus sum. Ea spes nisi me hætenus ale-
ret, literas (quod ille agebat) nescire malim.
Fit enim naturæ quodam instinctu, ut quos à
cæpto suo laboris insolentia vel invidæ for-
tunæ malignitas jam retro vertebat, dulcis
imago præmii porro urgere incipiat, ideo-
que ne pulvis, in quo victores esse student, lu-
minibus officiat, semper in oculis mercedem
habent; ut non immeritò quis stipendii me-
moriam *sudoris spongiam* esse dixerit. Ani-
mum mihi addidit insignis illa & æternis
laudibus deprædicanda Munificentia Serenis-
simi Principis, GEORGII WILHELM I,
Ducis Brunsvicensium & Luneburgensium,
Academiæ Julię h. t. Directoris Magnificentis-
simi, Domini mei Clementissimi, qui ad felici-
ter consummanda sacra Studia liberali quodam
sub-

subsidio pauperes meas Musas dotavit. Benè
sit Illustrissimo Evergetæ!

*Serus in cælum redeat diuque
Patriæ vivat Pater atque Princeps!*

Sed quia OPT. MAX. VOS Patriæ Atlantes po-
suit & ob Heroicas, quibus eminentis, Virtutes
ad sublime hoc rerum fastigium &

terrarum Dominos extulit ad Deos,

tenues hasce pagellas, animi mei in Vestri cul-
tum atque perenne obsequium devoti tesseræ
exhibendas duxi sub ea spe, fore, ut interventu
Vestro tandem mei quoque infimi Vestri clientis
ratio habeatur. Quod superest, Illustres Ve-
stras Dominationes ac Prænobiles Amplitudines
Omnipotenti Deo: mea autem Srudia, quibus,
quod per Deum testor, non gloriam inter ho-
mines, (quàm enim in me tenuia sint omnia,
non nescio) non honores mundanos, non divi-
tias aut alia fortunæ crepundia affecto, sed di-
vinæ Gloriæ, qui omnium actuum nostrorum
finis debet esse ultimus & Bono Publico pro-
mearum, si quæ sint, virium modulo velificari
in

in mortali hac vita intendo, VOBIS, Mæcena-
res Maximi, humilimè commendo. Valete,
Viri illustres, Viri generosi & res vestras agite
FELICITER! Dabam in inclÿta JULIA
Helmæstadi Saxonum, III. Kalend. Augusti, An-
no O. R. CIO IC CLII.



DE



DE
VETERVM SACRIS, TEMPLIS
ET DIEBUS FESTIS
LIBELLUS

CAPUT I.

Variae Synopses veterum
Sacrorum.

EX JUSTINO.

Riscæ ac primitivæ Ecclesiæ Sacra exhibituri non possumus, quin in frontispicio hujus opusculi succinctam eorundem formam ex Justino martyre & philosopho insigni, novellæ martyrumque cruore resper-
sæ Ecclesiæ germine nobilissimo adscribamus. Claruit Fidei hic athleta circa seculi II. medium duasque pro Fide Christiana, apologias ad Antoninum Pium, Principem doctum perscripsit. Harum posterior (quam revera priorum esse oportuit) ritus sacrorum omnes venuste continet. Die, qui Solis dicitur, ait sanctissimus martyro suo finem operis, omnium, qui in opidis vel ruri degunt, conventus fit & apostolorum commentaria aut prophetarum scripta, quoad tempus permittit, leguntur. Deinde ubi lector conticuit, Præpositus orationem habet, quâ cohortatur & ad rerum tam pulcrarum imitationem invitât: postea communiter omnes exurgimus & preces fundimus, & ut diximus, finitis precibus panis profertur & vinum & aqua & Præpositus similiter preces & gratiarum
A actio-

actiones pro virili sua instituit & populus succlamat di-
cens: Amen. Tum distributio & communicatio eorum,
quæ benedicta sunt, unicuique fit & absentibus per diaco-
nos mittuntur. Cæterum qui locupletes sunt & volunt,
pro arbitrio suo quisque, quos visum est, contribuunt, &
quod ita colligitur, apud Præpositum deponitur, ut is in-
de opituletur pupillis & viduis, quique propter morbum
aut aliam aliquam causam indigent aut in vinculis sunt aut
ut hospites peregrè advenerunt & ut verbo dicam, omni-
um egentium hic curator est. Ideo autem die Solis com-
muniter conventum agimus, quia hic primus dies est, quo
Deus tenebris & materia mutatâ mundum fecit, & Jesus
Christus Servator noster eodem die ex mortuis resurrexit.
Hæc ille. Videmus, quam paucis ritibus Synaxes suas pri-
sci ac primi fideles, ὡν ἕκαστος ἀξιοῦσι ὁ κόσμος, concluderint.
Neque enim h. l. nisi lectionem sacri textus, concionem,
preces, oblationem panis & vini, oblatores consecratio-
nem, communionem præsentibus datam & absentibus
missam, denique eleemosynæ collectionem Justinus me-
morat. Alterum ex concinna hac sacrorum Synopsi no-
tabile est, quòd ea ætate ritus Eucharistiæ celandi infidelibus
consuetudo nondum fuerit. Nam d. l. integrum in Ec-
clesia Sacrorum ordinem à capite ad calcem infideli Impe-
ratori apologeticus scriptor manifestat. Posterâ itaque
ætate mos cæperit, ne catechumenis quidem & fidei candi-
datis, nedum pagano alicui vel Judæo ritus Missæ fidelium
exponendi. Unde aurei oris Doctor, cum in tractatu eu-
charistiæ mentionem fecisset, quid dicam, ait, initiati no-
runt hom. LXXXIX. Tomo v. edit. Savil.

EX DIONYSIO AREOPAGITA.

Ampliori ambitu eundem Sacrorum ordinem Dio-
nysius ille, qui contemplationes suas sanè non contemnen-
das

das Areopagitæ tribuit, decore in hunc modum describit: Pontifex quidem perfecto precum sacro ad DEI altare cum ab eo incendendi odores initium fecit, sacrum obit locum. Rursus autem ad divinam aram sacros psalmos canere incipit canuntque cum eo omnes ecclesiastici ordines. Deinceps à ministris sanctorum librorum lectio ordine recitatur. Ea recitatâ extra Templi ambitum collocantur catechumeni & una cum eis energumeni atque ij, quos superioris vitæ pænitet: manent autem ij, qui divinarum rerum & aspectu digni sunt & communionem. Ministrorum verò alii stant pro Templorum foribus, quæ occlusæ sunt: alii autem aliquid aliud eorum, quæ illorum ordinem attingunt, perficiunt. Præcipui porrò atque electi ordinis ejus, qui ministrat cum Sacerdotibus, in divino altari proponunt panem benedictionisque calicem, cum antea ecclesiastici omnes laudem hymnumque generalem Deo tribuerint, cum quibus Pontifex sacras preces ritè perficit sanctamque pacem omnibus nunciat. Cum omnes se inter se salutaverunt, mystica sanctorum recitatio fit. Cumque manus aquâ abluerunt & Pontifex & Sacerdotes, Pontifex quidem in medio altari collocatur: circumstant autem eum soli cum Sacerdotibus ministri selecti. Pontifex laudatis sacris Dei operibus ea, quæ divinissima sunt, ritè perficit oculisque subjicit ea, quæ propositis ritè signis laudata sunt. Donis divinorum operum monstratis ad sacram eorum communionem & venit ipse & invitat cæteros. Accepta datâque divina communionem in sacram gratiarum actionem definit. l. de eccles. hierarchia, ubi de Sacram. Sacræ Synaxeos agens mysticas quoque contemplationes super singulis istis ritibus addit. Ordo itaque Sacrorum eâ ætate, quâ pseudonymus ille Areopagita, sed tamen antiquitate venerabilis scriptor prodiit

usitatus his ferè ritibus absolvitur, quorum 1. est incensio
odorum. 2. psalmodia. 3. lectio Sacri textus. 4. ejectio ca-
techumenorum & pœnitentium. 5. occlusio & sedula fo-
rium custodia. 6. Symbolorum panis & vini propositio.
7. preces super symbolis consecrandis. 8. salutatio Pacis.
9. Invitatio ad communionem 10. Sacra communio & de-
nique epilogus sacrorum, gratiarum actio.

EX CONSTITUTIONIBUS APOSTO- LORUM.

Meritò inter Synopses Sacrorum priscae Ecclesiae sua
merentur encomia *Constitutiones Apostolicae*, quæ licet nec
ab Apostolis, Viris illis *secundis* conditæ nec à Clemente,
quarto post Petrum (si vera est fabula) episcopo Romano
collectæ sint, antiquos tamen ritus, cum primis publica sa-
crorum exercitia tam distinctè & accuratè tradunt, ut ni-
hil hîc desiderare possis amplius. Brevis eorundem an-
ticipatio l. ii. c. vi. sed plena & fusa enarratio lib. iix. per
totum extat: Nos in gratiam benevoli Lectoris tale hinc
compendium concinnamus: Cum Ecclesia ad divinum
Officium erat convocanda, episcopus veluti Præses sacro-
rum in id dabat operam, ut cum omni devotione cætus
cogeretur. Convocatâ plebe diaconi munus erat fratri-
bustanquam *epibatis* loca cum omni diligentia disponere.
Locus Deo sacer domus longa, navis instar, ad Orientem
conversa erat & utrinque *pastophoria* habebat. *Pastophoria*
existimo fuisse tabernacula quædam quasi armaria in fron-
te Templi utrinque posita, in quibus Eucharistia, vestes
& vasa sacra recondebantur, scribit Joh. Carolus Bovius
Scholiis in libb. Clem. In medio Templo thronus, Sedes
vel cathedra episcopi erat, clero ac plebi Superintendentis.
Episcopum Throno suo insidentem hinc inde presbyteri
tum diaconis stipabant. Extra *βήμα* laici cum omni quiete
atque

atque in silentio, Viri cum Viris, fœminæ cum fœminis confidebant. Tum vero Lector stans è superiori loco (pulpito vel ambone) aliquam Scripturæ è V. T. pericopen legebat. Post lectionem hymni Davidici, populo initia veruum concinente, in Ecclesia resonabant. Hymnis dictis ex epistola quadam N. V. vel ex apostolorum actibus sacer textus legebatur, & intersertis hymnis evangelium, quod cum legeretur, clerici omnes omnesque laici venerabundi exsurgabant & in alto silentio auscultabant. Evangelio plebi prælecto presbyter dato signo, ut suo quisque loco resideret, cohortabatur. Postremus omnium suam sessionem repetebat episcopus. Ostiarij interim virorum portas, portas mulierum diaconissæ custodiebant, atque uti illis Viris, ita hæ fœminis loca sua commonstrabant. Diaconi gremium Ecclesiæ obibant & cavebant, ne quis tumultus excitaretur neve murmur aliquod Sacris esset fraudi, ne quis præsertim cum attentas judicarent aures ad Domini sermonem habendas, conniveret vel nutaret: Unus ex diaconis pueros obstrepere volentes cohibebat. Absoluto tractatu diaconus altum aliquem locum conscendens exclamat: **NE QVIS AUDITORUM, NE QVIS INFIDELIUM.** Silentio tum factò iterum edicebat Diaconus: **CATECHUMENI ORATE,** quo dicto Fideles omnes conclamabant: **DOMINE MISERERE,** diacono interea certam precum formulam conceptis verbis recitante. Finitâ prece, **FRIGITE VOS,** agebat, **CATECHUMENI; INCLINAMINI ET BENEDICTIONEM ACCIPITE.** Inclinantibus ipsis capita benedictionem Episcopus impertiebatur. Tum denuò Diaconus: **ITE, CATECHUMENI IN PACE.** Quibus exeuntibus advocabantur Energumenti, dein Illuminandi h. Candidati baptismi & proximè sancto lavacro initiandi, denique Pœnitentes

tentes è suis Stationibus. Cum his omnibus similis ferè
Processus agebatur. Remotis itaque, quos *epoptas* Eucharisti-
æ esse nondum decebat, Missam fidelium ad hanc dia-
coni vocem inchoabant: **FIDELIS FLECTAMUS GE-
NUA, ROGEMUS DEUM PER CHRISTUM.** Ad
preces ita excitati fideles pro pace Imperii pro tranquillita-
te Ecclesiæ, particulariter pro sua ecclesia, pro episcopis
suo cum primis, pro presbyteris, diaconis, lectoribus, can-
toribus, virginibus, viduis, orphanis, uxoratis liberisque o-
peram dantibus, Enochis, cælibibus, pro offerentibus
ad altare, pro evergetis pauperum, pro neophytis & nu-
per illuminatis, pro ægrotis, pro terra marique euntibus,
pro exulibus, damnatis ad metalla, ob fidei professionem
in carceres coniectis, pro servis, pro inimicis & persecu-
toribus, suis, pro infidelibus & hæreticis pro infantibus,
pro se denique ipsis orabant. Illas preces ubi exegerant
fideles, Episcopus solus pro universo suo grege Deum de-
precabatur. His ita consummatis Diaconus aderat excla-
mans: **ATTENDAMUS.** Episcopus autem collectam fi-
delium multitudinem salutabat .h. m. **PAX DEI VOBIS.
CUM OMNIBUS.** Populus Resp. **ET CUM SPIRITU
TUN.** Denuò prodibat diaconus omnesque ad symbo-
lum charitatis sibi invicem dandum exhortabatur sub hac
formula: **SALUTATE VOS INVICEM OSCULO
SANCTO.** Tum clerici episcopum suum & ex laicis ex-
tra Chorum Viri Viros, fæminæ fæminas osculabantur.
Cum hæc fierent, fores templorum, virorum porta portaq;
mulierum occlusæ erant. Hypodiaconus interim aquam
manibus Sacerdotum affundebat. Diacono vicissim excla-
mante: **NULLUS CATECHUMENUS, NULLUS AU-
DITOR, NULLIS INFIDELIS, NULLUS HÆRE-
TICUS QUI PRIMAM ORATIONEM PERFECIS-
TIS,**

TIS, DISCEDITE, PUEROS RECIPITE MATRES.
NE QUIS CONTRA ALIQUEM. NE QUIS IN HY-
POCRISI. ERECTI AD DOMINUM CUM TIMORE
ET TREMORE MANENTES SINAMUS OBFERRI.
His pronuntiatis reliqui diaconi dona seu oblata fidelium
panem præsertim ac vinum ad usum Eucharistiæ episcopo
intra *βῆμα* deferebant. Consecratur episcopo circum circa
presbyteri velut discipuli suo magistro assistebant, duobus
diaconis *flabellum* à tenui membrana vel ex pavonum pen-
nis confectum manu tenentibus ad muscas aliasve præter
volantes bestiolas de sacro calice abigendas. Posthæc Epi-
scopus veste splendida indutus ante altare stabat & signa-
culo crucis se armans unà cum Sacerdotibus suis orabat;
GRATIA OMNIPOTENTIS DEI, CHARITAS D. N. I.
C. COMMUNICATIO SPIRITUS S. SIT CUM OMNI-
BUS VOBIS. Resp. universa ecclesia: ET CUM SPIRI-
TU TUO Episcopus: SURSUM CORDA. Resp. HA-
BEMUS AD DOMINUM. Episcopus: GRATIAS AGA-
MUS DOMINO. Resp. DIGNUM ET JUSTUM EST.
Episcopus: VERE DIGNUM ET JUSTUM EST ANTE
OMNIA LAUDARE TE VERUM DEUM &c. &c. Cum
ad hæc verba esset perventum: TE ADORANT INFINI-
TI EXERCITUS ANGELORUM INCESSABILI VO-
CE CLAMANTIUM, populus universus Trifagion pro-
sequebantur: SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS DO-
MINUS DEUS ZEBAOI. Patet inde antiquum, esse in
Ecclesiis ante Eucharistiam Præfationis usum. Præfationi
Episcopus preces quasdam mysticas, hodie *Secretas* vo-
cant, subjungebat, populo Resp. Amen. Suam deinde vo-
cem: ATTENDAMUS, repetebat Diaconus, & ut major
esset dicti emphasis, ipse Episcopus exclamabat: SANCTA
SANCTIS, Resp. populus: UNUS SANCTUS, UNUS
DOMI-

DOMINUS, UNUS CHRISTUS IN GLORIAM DEI PATRIS BENEDICTUS IN SECULA. AMEN. Inde per ecclesiam universam clamare omnes: GLORIA DEO, HOSIANNA IN EXCELSIS, BENEDICTUS, QUI VENIT IN NOMINE DOMINI. Sopitis clamoribus primus omnium Episcopus, dein presbyteri, diaconi postea clerici, Anagnostæ, Cantores, Ascetæ, diaconissæ, Virgines, viduæ, pueri, populus denique omnis cum timore & tremore de symbolis consecratis communicabant. Panem sacrum distribuens Episcopus agebat: CORPUS CHRISTI; & ad exhibitionem benedicti calicis: SANGVIS CHRISTI, CALIX VITÆ: Communicans Resp. AMEN. Inter communionem per sacrum hoc auditorium Ps. xxxiii. canebatur: Benedicam Domino in omni tempore. Expletâ communionem Diaconi sacras reliquias in pastophoria deferabant. Tandem gratiarum actio, solennis oratio & ab episcopo data benedictionis formula finem sacris omnibus imponebant, diacono clamante. ITE IN PACE, MISSA EST. Atque hic est ille Sacrorum Ordo, qui in Constitutionibus Apostolorum titulum & Clementis Romani auctoritatem præ se ferentibus sancitus est, unde varias Formulas Ecclesiasticas nec pauciores ritus Sacrarum antiquitatum Studiosi cognoscent.

EX CONCILIO LAODICEÑO.

Sed nec minus notabile in præsentia materia est Concilium Laodicenum, quod tanti priscis illis seculis factum est, ut canones ejus recepti fuerint in codicem canonum, universæ Ecclesiæ, ubi quoque annus, quo habitum est, ccclxiv. annotatur. Baronius de eo agit appendice ad iv. Tomum Annalium & contendit habitum fuisse ante Oecumenicum sc. Nicænum, sed argumentis infirmis Agnoscit autem est Concilium antiquâ nobilitate per celebre. græco-

græcorum ac latinorum scriptis memoriæ commenda-
tum. In eo præter alia ad sacram disciplinam pertinentia
publicæ liturgiæ ratio venustè exponitur: Nam juxta Syn-
odicas illas constitutiones Introitus ex psalmo constabat;
inter singulos psalmos lectio sacra de pulpito ex *diphthe-
ris* fieri solebat. Inde ad populum Christianum ab epi-
scopo homilia vel tractatus habebatur. Finita concione
pro catechumenis, ac pro pœnitentibus, qui coram erant,
oratio fundebatur, quibus exire jussis soli fideles preci-
bus intenti remanebant; Precum prima agebatur in silen-
tio, secunda & tertia clarâ voce pronunciabantur. Post
preces presbyteri episcopo, laici sibi invicem tesseram
charitatis, osculum S. figebant. Tum panis & vinum ob-
ferebantur, de quibus eucharistiam consecrari oportuit.
Consecratis jam Symbolis, clerici intra septa altaris vel in-
tra cancellos sanctuarii communicabant, quò quia laicis,
fæminis præsertim, accedere fas non erat, ad hos extra βί-
μα Sanctum Domini efferebatur. Sed juvat audire ipsos Pa-
tres Laodicenos. Ita autem illi: Sancta Synodus, quæ apud
Laodiceam Phrygiæ Pacatianæ convenit ex diversis regi-
onibus Asiæ, definitiones exposuit ecclesiasticas, quæ sub-
ter annexæ sunt. Can. xv. quòd non oporteat amplius
præter eos, qui regulariter cantores existunt, qui & de co-
dice (ἐκ διφθέρας. Quid *Diphthera* fuerit, non æque constat.
Zonaras *Diphtheras* ab Apostolo τὰ βιβλία, μάλιστα τὰς μεμ-
βρίνας vocari 2. Tim. iv, 12. putat) canunt, alios in pulpi-
tum conscendere & in Ecclesia psallere. Can. xvii. quod
in conventu fidelium nequaquam psalmos continuare
conveniat, sed per intervallum i. e. per psalmos singulos
recenseri debeant lectiones. Can. xix. quòd oporteat se-
orsum primum post tractatum episcoporum orationes su-
per catechumenos celebrari. Et postquam catechumeni
egres-

B

egres-

egressi fuerint, super eos, qui sunt in pænitentia, preces fieri. His etiam accedentibus ad manus Sacerdotis & discedentibus tres orationes consummari fidelium, ita ut prima quidem sub silentio, secunda verò & tertia per exclamationes solitas expleantur & ita demum pacem sibi invicem dabunt. Et posteaquam dederit Episcopus presbyteris osculum pacis, tunc laici sibi tribuent. Et ita sancta celebrabitur oblatio. Solis autem ministerio sacro deditis ad altare ingredi & communicare ibidem liceat. Can. XLIV. quòd non oporteat mulieres ingredi ad altare. Plura in eadem Synodo de basilicis vel memoriis martyrum, de martyriis hæreticorum non adeundis, de eulogiis per parochias non mittendis, de natalitiis festisque diebus & nuptiis in quadragesima non agendis, de oblationibus extra domos privatas efferendis sancita reperies, quæ præsentem materiam egregiè illustrant, sed nos suo quæque loco referemus.

EX LIBB. RITVALIBUS.

Labentibus seculis alii ex aliis ritus sacri sunt educti, ut jam suo ævo de rituum legumque ecclesiasticarum multitudinem fidus illud Occidentis, S. Augustinus in aureâ epist. CXIIX, ad Januarium fuerit conquestus, ubi in ipsa rituum abundantia, quamvis contra fidem non fuerit, ter-vile aliquod onus Christianæ Religioni indecorum & Judaismo affine agnoscit. Unde integri tum libri rituales edi cœperunt de divinis vel ecclesiasticis officiis inscripti, è quibus ritus Missales facile omnes constant. Eminent inter hos **ORDO ROMANUS** ante octo secula, auctore incerto conditus, inde dictus, quòd ordinem sacrorum in Romanâ Ecclesiâ usitatum copiosè pertractet. Exempla ejus sacros libellos breves quatuor protulit Optimus & Eruditissimus Georg. Cassander, unum prolixum de divinis officiis

ficiis per totius anni circulum unà cum cæteris ecclesiasticorum officiorum expositoribus typis excudi fecit Melchior Hittorpius. Utrumque Coloniae impressum est, illud Anno O. R. MD LXXI. in octav. illud Anno O. R. MD LXXVI. in folio. Ordini Romano si *Sacramentarium*, quod Gregorio M. tribui solet, *Missale* Romanum. *Breviaria* & particularium Ecclesiarum *Agendas* adjunxeris, Sacra publica latinæ Ecclesiæ levi negotio depromi hinc poterunt. Ex his autem, qui de ecclesiasticis Officiis libellos condiderunt, facile præcipui sunt S. Isidorus Episcopus Hispalensis circa initia Seculi VII. clarus: Venerabilis Beda, cujus de Officiis Tomo VII. operum ejus libellus extat; celebris post initia IX. seculi; & exeunte eodem Albinus Alcuinus Anglus, Vener. Bedæ discipulus & Caroli M. Præceptor: Seculi autem Noni anno xxx. Amalarius Fortunatus, Episcopus Trevirensis IV. libros de ecclesiasticis Officiis, Ludovico Pio Imper. inscriptos emisit: circa medium ejusdem seculi Walafridus à vitio oculorum dictus Strabo, Abbas Augiæ de rebus ecclesiasticis librum, valde utilem composuit: Seculi XII. anno XIX. libellos XII. de divinis Officiis Rupertus Abbas Tuitiensis, Vir, ut illa tempora ferebant, non indoctus Cunoni episcopo Ratisponensi dedicatos condidit; in quo scribendi genere non diu eum Joh. Micrologus antecesserat, edito de ecclesiasticis observationibus libro. Vid. Bellarminus in eximio libello de script. Eccles. Quibus apud græcos ritibus Sacra publica consent, harum amœnitatum cupidum liturgiæ SS. Patrum edocebunt. Liturgias dico: nam quod latini Officium, Missam vel Ordinem agendi vocant, id græcis dicitur λειτουργία nimir. descriptio Ordinis servandi in sacris celebrandis circa preces, hymnos, lectionem S. Scripturæ concionem & quàm maxime circa administra-

tionem Eucharistiæ; cujusmodi sunt, quæ hodie circum feruntur, liturgiæ sub titulis partim veris, partim falsis Petri, Jacobi, Marci, Andreæ, Basilii, Chrysofomi &c. Videantur *Λειτουργίαι τῶν ἁγίων πατέρων Ἰακώβου τῆς ἀποστόλου καὶ ἀδελφοφίης βασιλείου ἔμμεγας*, *Ἰωάννου τῆς χειροσεσόμενης* aliorumque plurimum *ἁγία παραδόσις μυστικῆς θεωρίας, ἱεραργίας, μυσταγωγίας* Parisiis superioris seculi anno LX. apud Guil. Morelium Regium in græcis Typographum excusæ, unde græcorum sacra, ritus præsertim circa Eucharistiam, quibus volupe est, petant. De ritibus S. Synaxis apud Syros receptis videri dignus est Severus Patriarcha Alexandr. Interprete Guidone Fabricio A. C. MDLXXII. Antwerpia excusus.

EX CONCILIO COLONIENSI.

Centum abhinc & sedecim annis, nim. Anno Christi MDXXXVI. Synodus provincialis Coloniae acta & in XIV. partes distributa est. In hac elegans Missæ quam vocant, compendium parte VII. cap. XXV. texunt, scitu opidò dignum, quòd inde ritus Missales hodiernum in Ecclesia Romana & apud pontificios recepti ferè omnes innotescant. Ita verò Patres præfatae Synodi loquuntur: Docendus est populus generatim, quid agatur in Missa & quibus partibus constet. Constat siquidem psalmodiâ, quem vocamus *Introitum*, invocatione, & gloriosâ celebratione sanctissimæ Trinitatis, quæ in canticis *Kyrie eleison* & *Gloria in excelsis Deo* peraguntur, precatatione seu *collecta*, recitatione verborum Prophetarum aut Apostolorum, quam vocamus *epistolam*: sacris canticis, quæ vocamus *Gradualia* & *Alleluja*, & quæ sequuntur, lectione *evangelicâ*, *symboli* recitatione seu professione fidei Catholicæ, cantico, quod non sine mysterio *Offertorium* appellatur: gratiarum actione, quæ dicta est *Præfatio*, religiosâ commemoratione mortis *consecrationeque* corporis & sanguinis dominici, quæ fit in *Canone*. Rursus precatationibus, inter quas est *pre-*

catio dominica. Sequitur *osculum* pacis, symbolum christiana-
næ charitatis, mox *Communio.* Rursus *sacrum canticum*
quod *commune* appellatur & precatio. Postremo loco Sa-
cerdos totum populum velut in suam tutelam receptum
Deo benedictione tradit atque commendat, ut perseveret
in affectu pietatis mutuâque charitate, quorum quum ad-
monetur populus, incipiet nedum (non tantum) credere,
sed & sentire, quod in Missa nihil non sit pium ac veneran-
dum. Ita quidem illi.

In nostris Ecclesiis neminem nostratum adeo hospi-
tem fore speramus, quin Sacrorum ordo illi constet. Ex-
teris quoque quâ liturgiâ utamur, ex Agendis nostris Ec-
clesiasticis, quas vocamus *Kirchenordnung* / petere in pro-
clivi est Vener. noster Dn. D. Calixtus, cui vitam & va-
letudinem Opt. Max. diutissimè servet & præclara in Ec-
clesiam merita cumulatissimè in Æternitate rependat, in
nobili Exercit. de Sacrificio Christi semel in cruce oblato
concordiam sacrorum nostræ & veteris Ecclesiæ concin-
nè & concisè exhibens Pontificios ad *Missale*, quod in u-
sum Ecclesiarum Augustanæ Confessionis *Matthæus Lude-
cus* ecclesiæ cathedralis Havelbergensis Decanus ante L.
annos edidit, th. LV. remittit.

Verum enim verò unum propemodum, quod primo
loco poni oportuit, ethnici scriptoris de Sacris Christia-
norum testimonium supra obliti sumus. Plinius junior
Anno Domini CII. in Bithyniam proconsul missus, episto-
lam inde de Trajanum Imper. qui edicto caverat, ne es-
sent promiscui sacrorum inscio magistratu conventus, at-
que ita indirectè etiam Christianorum Synaxes prohibu-
erat, misit & se instrui petiit, quomodo contra Christia-
nos agendum sibi esset. Ea occasione quicquid de ordine
sacrorum apud Christianos thurificati, libellatici aliique

lappi vel tormentis victi enunciaverant, Imperatori perscribit h. m. affirmabant hanc fuisse culpæ suæ vel erroris summam, quòd essent soliti statu die ante lucem convenire carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne larrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent, quibus per actis morem sibi discendendi fuisse rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium. ep. xcviij. l. x. Videtur nim. ad Christianorum conventus antelucanos, ad psalmodiam fidelium, ad SS. Eucharistiæ sacramentum & ad agapas vel convivium charitativa respexisse. Auditis innoxiiis illis Christianorum sacris rescripsit Trajanus, inquirendos Christianos non esse, accusatos verò & obstinatos absque pæna non dimittendos.

CAPUT II.

LOCA SACRIS PUBLICIS
DEDICATA.

LOCA SACRORUM PRIVATA.

Primis tribus seculis, martyrum illo ævo per temporum injuriam templa Christianis fuerunt nulla, quòd si instituti nostri ratio pateretur, fusè probari ex sacra antiquitate poterat. Origenis tempore, qui à laborum tolerantia χαλκέντερος, lat. Adamantius dictus, paulo post seculi tertii primordia claudit, & sena millia librorum scripsisse fertur, Celsus Epicureus Christianis improperebat, quòd imagines & simulacra, aras & altaria, Templa & delubra fugerent. Origenes, cujus contra celsum octo libri circumferuntur, id non negat, sed Resp. haud quaquam Deum in insensibilibus & inanimatis templis colendum existimamus. Negat verò causam, ob quam Templa Christianis exosa credebat Celsus;

sus; ideò enim id fieri putabat, ut confirmarent Christiani insensibilis suæ & inexplicabilis communionis Fidem. Videtur nim. de sacra communione in eucharistia fando aliquid accepisse. At Origines, non, inquit, ad nostræ hujus insensibilius & inexplicabilis animorum conjunctionis & tanti conventus confirmationem simulacrorum Templorumque fundationes defugimus, sed quia per Jesu doctrinam comperimus, quemadmodum colendus sit Deus, ea vitamus, quæ sub pietatis prætextu & opinione quadam impios reddant. l. iix. contra Celsum. Post Origenem sub Diocletiano & Maximino Arnobius Afer ex apologetico adversus gentes celebris, inter crimina à gentilibus impacta Christianis templorum defectum collocat: in hac parte, ait, consuevistis crimen nobis maximum impietatis affigere, quòd neque ædes sacras venerationis ad officia exequamur, non Dei alicujus simulacrum constituamus aut formam, non altaria fabricemus, non aras. Ex Arnobii disciplina lacteæ Pater eloquentiæ Lactantius Firmilianus prodiit, qui l. ii. divinarum institutionum gentiles accusat, quòd Tempa frequentent: cur, inquit, oculos in cælum non tollitis & advocatis Deorum nominibus in operto sacrificia celebratis? cur ad parietes & ligna & lapides potissimum, quàm illuc spectatis, ubi eos esse creditis? quid sibi Tempa, quid aræ volunt? quid denique ipsa simulacra, quæ aut mortuorum aut absentium sunt monumenta?

Haud immeritò quæras, in illo templorum defectu ubinam sacrorum suorum exercitium Christiani habuerint? Resp. loca, in quibus ad preces fundendas, ad hymnos canendos, ad tractatus audiendos, ad eucharistiam, conficiendam sacras Synaxes prisce egerunt, fuisse aliquando ædes privatas Act. ii, i. cum complerentur dies Pentecostes;

costes &c. aliquando per civitates docuerunt in Synagogis, exemplo Pauli Act. ix, 20. quemadmodum etiam fidelium synax in Synagogam Jac. ii. 3. dictam reperimus: aliquando Hierosolymis in ipso Templo sacra tractarunt, Act. v, 21. Ita quidem vivis apostolis reserat comparata. Tyrannis ecclesiam infestantibus simplices domos sacris suis deputarunt vel speluncas & antra, vel cryptas & facella subterranea, cujus lamentabilis status monumenta in Roma subterranea videri etiamnum possunt: aliquando extra urbis mœnia, ad radices montium, in patientia quoque tempestatis adversæ, impetus imbrium, nivis, gelu, sæpe etiam vehementissimi æstus ad sacra convenerunt, quam ne hac quidem laboriosissima commoditate frui semper daretur, cum notiores etiam cryptas improbus miles perquireret & armatâ manu sacros conventus dissiparet. In similem ferè sortem circa medium Seculi XV. Hussitæ (aliis Calixtini, quod in Eucharistia calicem dominicum efflagitarent, aliis Thaboritæ à loco sacris suis destinato, aliis amisso duce Ziska Orphani appellati) in Bojohœmia inciderunt. Hi enim cum à Pontificum Tyrannide ad incitas redigerentur, in ædibus sacris rem divinam peragere amplius non potuerunt, sed in locis occultis, in cellis, in cavernis, in scrobibus convenire coacti sunt. Unde exoso nomine eos vocarunt die Grubenheimer/ teste Selnecc. in enarr. Ps. vii.

COEMETERIA.

Cum primis solenne priscis illis fidelibus erat, ut sacra acturi juxta sanctorum *catacumbas* vel in martyrum *dormitoriis*, in quibus Christiani defuncti sub spe Resurrectionis cubabant, convenirent. Legimus veteres Romanos Pontifices, inquit Onuphrius, inter martyrum tumalos *Stationes* h. e. omnes actus solennes celebrare

brare consueviffe, & quia ad eadem sepulcra solebant anniversary faltem die convenire, hæc Cœmeteria erant veluti templa & orationum loca, in quibus Epifcopi fynodos congregabant, facramenta adminiftrabant, verbum Dei concionabantur. Hinc obfervat idem Imperatoribus, Ecclefiam perfecuturis, in more fuiſſe poſitum, ut à Cœmeteriis vel maximè Chriſtianos abarcerent. Erant in iisdem locis monumenta memoriis martyrum ſacra, quæ altaris ſpeciem præ ſe ferebant. Didicimus hoc ipſum ex Concilio Carthaginienſi, quod vulgò Sextum vocatur, cum revera fit quintum: Septem enim illa in omni antiquitate celebria Concilia Carthagin. longè alio ordine, quàm juxta temporum ſeriem fuiſſe in Tomis Conciliorum locata Vener. Dn. D. Calixtus in tract. de Conjugio clericorum ſcitè admodum oftendit, pag. 396. Decretum vulgò pro Sexto habiti Carthagin. Concilii ſuo decreto juris canonici collector Gratianus diſt. i. inferuit, eſtque hujusmodi: placuit, ut altaria, quæ paſſim per agros aut vias tanquam memoriæ martyrum conſtituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiæ martyrum conditæ probantur, evertantur. Nec abludit Optatus, Epifcopus Milevitanus l. iii. de martyribus Donatiſtarum, è quibus *Circumcelliones* erant, ſcribens: in loco Octavenſi occiſi ſunt plurimi, detruncati ſunt multi, quorum corpora uſque in hodiernum per *dealbatas aras* aut *menſas* poterunt numerari. Elegans horum altarium, quæ ſuper martyrum tumulis excitari ſolebant, ſpectaculum inſignis novellæ hiſtoriæ Conditor Thuanus lib. ii. commentariorum de vita ſua refert: in Templo S. Orentii, ait (quod in veteri Novem populaniæ metropoli Auguſtæ Auſciorum viſitur) juvit ſpectare altaria hinc inde in Templo poſita, quæ ſunt repulcra Chriſtianorum, ad quæ Chriſtiani cœtus olim celebra-

C

lebra-



lebrari solebant, non mensæ, ut sunt nostrâ specie, plana, jacentia, sed *dorsi gibbo assurgentia* cum nota labari inscriptione, quæ duabus literis græcis X.P. Christi nomen refert quod purioris antiquitatis seculum sine dubio arguit. Hæc ille. Vero quoque nobis fit simile, cum commodè fieri potuit, ut super his Templi altaribus sacra peragerentur, maximè in natalibus eorundem martyrum, quorum memoriæ vel monumenta sub altarium formâ in Templis extabant, rem divinam ibidem fuisse peractam ad imitationem primorum fidelium, qui sub persecutionibus juxta sanctorum monumenta sacris vacabant. Neque verò altaria tantum super tumulis, sed ne sub dio & injuriis cœli expositi inter sacra essent, reperias aliquando *lignæ domunculas, ædiculas & fabricas materiales* in Cœmeteriis erectas. Laudat eo nomine $\Psi\epsilon\upsilon\delta\acute{\omega}\nu\mu\epsilon\omicron$ ille Damasus (revera autem Anastasius Bibliothecarius) qui vitas pontificum scripsit, Fabianum: Hic, inquit, regiones divisit diaconibus & fecit VII. subdiaconos, qui septem Notariis imminerent, ut gesta martyrum in integrum colligerent, & multas *fabricas per Cœmeteria* fieri præcepit. Idem in vita Liberii refert eum ab exilio reducem in *Cœmeterio S. Agnetis* Virginis juxta germanam Constantii Augusti habitasse, ad cujus quoque mandatum de eodem Cœmeterio fuerit protractus. In memoriam rei gestæ platonis marmoreis sepulcrum S. Agnetis martyris adornavit.

Cum aliquando Opt. Max. afflictissimæ suæ Ecclesiæ misertus intervalla quædam pacis & halcyonios dies propitius concederet, præsertim sub Philippo, A. C. 244. quem primum inter Imperatores Christianum fuisse Eusebius, fictis Origenis epistolis persuasus, putat: & sub Gallieno A. C. 254. qui etsi naturâ sævissimus *alter Domitianus, alter Nero* vocaretur, tamen XXX. Tyrannis cinctus publica sacrorum,

rum exercitia in Cæmeteriis ecclesiæ concessit, Christiani hac commoditate usi in Cæmeteriis *oratoria*, *εὐκτήσια* dicta, quòd Servator ipse domus sacras domus precum appellasset Luc. XIX, 46. construxerunt. Verùm hæc oratoria à culmine ad pavementum usque unà cum ipsis fundamentis dejici divinasque & sacras scripturas in medio foro igni tradi ipsis oculis vidimus, scribit sub Diocletiano Eusebius l. iix. hist. eccl. c. 2. Pace demum per Orbem Christianum firmatâ auspiciis Constantini M. consuetudo sacra tractandi in Cæmeteriis permanfit. Sic de piissimo Principe Theodosio Ruffinus: obsecrationum pernoctatione munitus, ait, circumibat cum Sacerdotibus & populo omnia orationum loca ante *martyrum & apostolorum thecas* jacebat cilicio indutus & auxilia fida sibi sanctorum intercessione poscebat l. ii. hist. eccl. c. 33. Similiter Albertus Cranzius l. ii. Saxonix suæ c. 14. memorat grassante persecutione Witekindi, Ducis Saxonum, Wilhadum, cùm per sortium benignitatem è manu hostium esset dimissus, in Galliam ad sepulcrum Willebrordi, ante Bonifacium Frisiorum apostoli, rediisse atque ibidem pro Saxonix salute precibus institisse. Plura de Cæmeteriis veterum qui voluerit, Onuphrii Panvini lib. de antiquo ritu sepeliendi mortuos cap. xi. & xii. legat, ubi *Cæmeteria quoque Urbis Romæ in topko suburbano* sacellis quibusdam adjunctis excavata vel in subterraneis cryptis constituta recenset.

BASILICÆ.

Ultimæ persecutionis Auctor Maximinus, dum pediculari morbo esset defixus, serâ facinorum suorum pænitentiâ ductus Christianis, ut dominica oratoria concederent, publico edicto permiserat: Ibi verò Christiani non humilia & de paupere regno *προσευκτήσια*, sed magnificentissimas

tiffimas & verè regias precum domos extruere cæperunt, cum primis Constantinus ex re & vero Magni cognomen indeptus basilicis condendis nihil operæ, imò ne Imperialibus quidem thesauris pepercit. Testis ejus rei Sozomenus est, cujus l. i. hist. eccl. c. 8. hæc sunt verba: quod ad sacra Tempia attinet, quæ satis haberent laxitatis, reficiebantur, alia altius erigebantur latioraque non sine splendoris accessione fiebant. Nova etiam ubi nulla antea fuissent, ab ipsis fundamentis extruebantur. Pecuniam autem ad hanc rem ex ærario regio suppeditavit Imperator. *Basilicas* autem sua oratoria prisca ideò dixerunt, quod quoad splendorem & magnificentiam cum ipsis regum palatiis contendere. Sanè de Templo Tyrio Eusebius oculatus testis est, quòd ampla ejus capacitas, altitudo fastigii propè ad cælum pertingens, splendidus operum aspectus, eximix cedri Libani superjectæ omnem facile orationem superent l. x. c. 4. dein basilicas vocarunt, quòd τῷ βασιλεῖ τῶν βασιλευόντων Regi Regem colendo fuerint destinatae.

Kyriacas easdem vocarunt, quòd τῷ κυρίῳ τῶν κυρουόντων Domino & Servatori nostro sacræ essent. Inde germani adhuc dicimus *Kirchen*. Latini *Dominicas* ob eandem causam dixerunt. Unde adhuc Templum aliquod cathedrale per aphæresin vocamus *einen Dom* ejusque præfectos canonicos *Domherren*. Frequens porrò fuit nomen martyrij. Ita templum Hierosolymis circa A. C. cccxxvi. extructum in loco cranij martyrium magnum dicebatur, ut Sozomenus. l. ii. c. 26. Communiter *martyria* ideò dicebantur, quòd in memoriam martyrum fuerint erecta, qua de re insignis est locus S. Augustini l. xxii. eximij operis de Civ. Dei c. 18. ubi sic ait: nos martyribus nostris non templa ut Dijs, sed memorias ut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus. Ex eod. lib.

lib. c. 8. patet martyria aliquando fuisse non integra templa, sed partes templorum cancellis cinctas extra *βήμα* & à reliquis templorum partibus distinctas: tale quid enim de martyrio S. Stephani protomartyris miraculis illustri refert. Dicta aliquando *Monasteria* invenimus: eâ enim voce prisca non monasticas tantum *mandras* & *claustra* vel *clostra*, sed & *Ecclesias collegiatis*, quibus scholæ fuerunt adjunctæ, denotârunt. Inde germ. vocant ein *Münster*. His in Saxonia condendis Osnabrugæ, Halberstadi, Monasterii, Verdæ, Bremæ, Mindæ, Hildesie, Paderbornæ insignem operam, *Templis cathedralibus* adhuc ibidem existentibus, (quanquam pro scholis collegiatis nobis nunc sunt *Academiæ*) gloriosissimus & de prisca Saxonibus ad fidem traducendis optimè meritus Princeps Carolus M. impendit, quâ de re videri digna est Alb. Cranzij *Saxonia* unâ cum *Metropoli* ejusdem.

Templa rariùs ædes suas sacras prisca appellarunt. Latantius quidem in carm. de passione Domini ea voce usus: Quisquis ades, inquit, mediique subis in limina *Templi* Siste parum.

Sed communiter ea appellatio piis tum viventibus erat exosa nec ferè, nisi pro *idolorum delubro* usurpabatur. Pulcer ea de re locus est apud Zenonem episcopum & martyrem, qui A. C. cc. lx. cathedram Veronensem tenuit, ferm. de continentia: proponimus itaque, ut sæpe contingit, in unum sibimet convenire diversæ religionis diem, quo tibi ecclesia, illi adeunda sint *Templa*. Et alicubi Hieronymus adversus Vigilantium, quem ob spretas vigilias *Dormitantium* vocat: mortuo cadaveri atque polluto præbebant exequias, ut post multa secula Dormitantius fomniaret, imò eructaret immundissimam crapulam & cum Juliano persecutore Sanctorum basilicas aut destru-

eret aut in Tempia converteret: Ita nim. illo ævo basilicæ erant Christianorum, & paganorum Tempia. Sed dirutis paganorum templis nomen residuum ad Christianorum basilicas tranfiit.

TEMPLORUM STRUCTURA, VESTIBULUM.

Veterum Templorum formam nosse ad Sacras antiquitates rectius intelligendas quia plurimum confert, nos paucis pro modulo ingenii nostri antiqua templa describe- mus. Pleraque *ad Orientem* erant conversa propterea, quòd antiquo ritu preces acturi ad orientalem mundi plagam se converterent. Inde Tertullianus l. contra Valentinianum non procul ab initio Ecclesias Christianorum orientem amare solitas scribit. Et Walafrius Strabo l. de eccl. observ. c. 4. majorem ecclesiarum partem ita fabricare memorat, ut qui in iis orant, ad Orientem respicere possint. Prætereà videntur quadrilatera fuisse, singulis lateribus ad aliquam mundi plagam directis, nisi forte situs loci huic templorum structuræ obstitisset. Sic adhuc Romæ Templum Mariæ rotundæ visitur Græcorum *ἱερὸν τῆς αὐτῆς* crucis formam exprimere docet Hospinianus de origine Templorum, quam formam in Republica Venetorum Templum D. Marci hodiernum præ se fert.

De cætero ad imitationem Templi Hierosolymitani basilicæ veterum in tres partes erant divisæ. Prima pars erat *porticus* ad portas Templi sita, ubi *ἐν τῷ αἴθρῳ*, in ferula annos tres lapsi sub exomologesi flentes stabant & ad fidelium Stantium pedes provoluti iisdem intransibus legationes deprecationis suæ injungebant. Stabant ibidem in porticu (in der Halle des Tempels/ut Lutherus vertit Joh. x, 23.) catechumeni, Audientes dicti, antequam Competentes fierent. Unde eum locum *Catechumenium* Paulus Diaco.

Diaconus vel quisquis actor sit historiae Rom. Eutropio adjunctae l. xxii. videtur nominasse. Confistere eodem in loco oportuit infideles, judæos ac paganos, quòd hi ab ecclesia extranei essent, nec non hæreticos, de quibus can. 6. Patres Synodi Laodicenæ pronunciant: non concedendum hæreticis ingressum domus Dei in hæresi permanentibus. Græci *μεγιστον* vocarunt, latini *vestibulum*, de quo meritò valet illud Davidicum: Melior est dies in atriis tuis, quàm alibi mille. Elegi esse in limine domus Dei mei potius, quàm habitare in tabernaculis impiorum Ps. LXXXIV, II.

GREMIUM.

Secunda pars templi erat *ναός*, mediana pars basilicæ, quam nos *majorem navim* vel *gremium* ecclesiæ dicimus. Eo in loco fideles rem divinam paracturi confidebant. Sedebant autem Viri seorsum à fæminis & ex fæminis puellæ ab uxoribus & viduis sejunctæ. Eleganter id ipsum in Clementis constitutionibus apostolicis, quæ vulgò dicuntur, exhibetur l. II. c. LXI. In medio domus sacrae sit episcopi sedes, ad cujus utrumque latus confideant presbyteri & diaconi assistant succincti atque expediti. Horum cura laici in altera parte sedeant cum omni quiete & ordine: mulieres quoque separatim sedeant silentium servantes. — Si quis inveniatur extra locum sedere increpetur à diacono veluti proreta & in suum locum reducatur — In Ecclesia seniores seorsum sedeant, si fuerit locus, alioqui maneant rekti, grandiores natu ordine sedeant, pueros stantes recipiant eorum patres & matres. Adolescentulæ rursus, si sit locus, seorsum maneant, cæteroqui post mulieres stent, nuptæ & quæ jam liberos habent, seorsum maneant, Virgines & viduæ & anus primæ omnium vel stent vel sedeant, Diaconus autem loca videat, ut quilibet ingrediens in suum locum concedat ac præter decorum ne sedeat. Gregorius

rius

rius Nazianzenus cognomento *Theologus* in somnio Anastasiæ supra porticus ecclesiæ (nostri vocant die *Portkirche*) adeoque in excelso fæminarum locum à viris sejunctum monstrat: sanctæ Virgines, inquit, cum gravibus matronis è *sublimi tecto* castissimas sermonibus meis aures inclinabant. S. Ambrosius in libello ad virginem corruptam c. vi. memorat locum in Ecclesia fuisse tabulis separatum, ubi virgines à cæteris fæminis separatæ oraverint: quomodo, ait, in actu illo ignominioso non venit in mentem habitus virginalis & processus in ecclesiam inter virgineos choros — nonne vel illum *locum tabulis separatum*, in quo in ecclesia stabas, recordari debuisti? ad quem religiosæ matronæ & nobiles certatim currebant tua oscula petentes, quæ sanctiores & meliores te erant? Sed nec minus pulchrè Procopius duplices porticus in Templis fieri solitas agnoscit fastigiata testudine & magnâ vi auri splendida, quarum una viros orantes, altera fæminas exceperit l. i. de ædif. Justin. Ita ergò varia erant tabulata in Ecclesiæ gremio, quorum alia maturâ ætate viros, senes alia, alia juvenes, alia nuptas, alia innubas puellas exceperint. Scribit Baronius ad A. C. LVII. sibi ex antiquioribus Ecclesiæ Vaticanæ monumentis constare, quòd dextera basilicæ pars mulieribus, sinistra Viris fuerit deputata, & hanc in sacris pro digniori habitam fuisse. Rationem, propter quam Viri per ligneos parietes à fæminis sejuncti sederint, S. Chrysostomus reddit istam, ne lubricus & assiduus mulierum aspectus libidinem accendat homil. LXIV. in Matth. Nescio enim, annon rectè idem Vir sanctus oratione XVII. *περὶ τῆς ἔχοντος συνεισότητος* tomo VI. præclarissimæ editionis Savilianæ dixerit: videtur mihi mulieris convictus (visus, alloquium, contactus) etiam absque nuptiis atque congressu voluptatis habere nonnihil; quæ imputa
volu-

voluptas ut à sacris publicis abesset, prisci omni studio contendebant. Simeon Metaphrastes in vita Chrysoctomi auctor est, clericum ab eo fuisse extra βῆμα à sacris projectum non alia de causa, quàm quòd fæminam fursum stantem & è *tabulato* prospicientem procaci oculo notasset. Ob similem cautelam in baptisterio ecclesiæ locus, in quo viri baptizabantur (colymbetras τῶν ἱερῶν ναμάτων Cyrillus dixit catech. mystag. iii.) ab eo, in quo fæminæ babtizabantur diversus erat & divisus. Nimirum cùm trina subter aquam immersio in ecclesiis recepta esset, cuius locum hodie apud nos ob infantium valetudinem adpersio supplet, veste omni denudatos baptizari in sacro fonte, qui communiter prope (non intra) majorem civitatis basilicam erat, Electos oportuit. Itaque paries è certis lignis hinc inde à terra surgebat, ut duplicem quasi fontem, lacum vel colymbetram ingressi, salva quisque verecundia baptizari posset. Confer August. l. xxii. de Civ. Dei c. 8.

CHORUS Βῆμα,

Tertia templorum pars βῆμα vel ἱερατεῖον erat i. e. *Sanctuarium* vel *adytum*, quod erat pars interior Templi à gremio cancellis, velis, auleis atque gradibus divisa: neque eò intrabant præter Episcopum & clericos alii. Nostri *Chorum* vocant, qui apud priscos non uti nunc est, in extrema Templi parte, sed in medio situs erat fidelibus extra eum stantibus. Solo oblationis tempore, quando benedicenda Symbola, panis & vinum, in altari erant exponenda, ingressus eis τὸ βῆμα laicis patuit. Post offertorium exire choro eosdem statim oportuit. Egregiè quomodo hæc se habuerint, ex historia Ambrosii & Theodosii, quam Theodoretus l. v. hist. eccl. cap. 18. refert, innotescit: Cùm jam, inquit, tempus advenisset, quo ad sacram mensam munera offerrentur, surrexit similiter plorans & ad sa-

D

crarium

crarium accessit & post oblationem, ut consuevit, *intra cancellos* restitit. Ne ibi quidem tacuit magnus Ambrosius, sed demonstravit illi discrimina locorum primùmque nunquid vellet, interrogavit. Cui Imperator cum respondisset expectare se communicationem divinorum mysteriorum, hæc illi per diaconum suum mandat: interiora, ô Imperator, solis sacerdotibus patent: reliquis verò omnibus inaccessa & intacta; proinde exi & communiter cum reliquis assiste: nam purpura Imperatores, non Sacerdotes facit. Hanc quoque institutionem libentibus animis admisit Imperator renunciarique illi iussit non audaciæ proposito *intra cancellos* se remansisse, sed quòd hunc morem Constantinopoli esse sciret. — Cæterum præscriptionem pietatis acceptam à magno pontifice, Constantinopolim reversus servavit. Nam invitatus in ædem sacram ad quandam divinam festivitatem oblatis ad sacrum altare muneribus statim exiit, & quamvis Nestarius episcopus Constantinopolitanus eum, ut intus maneret, rogaret, noluit. Sed licentiam *intra sanctuarii cancellos* manendi Imperatori suo restituit Synodus *Penthecte* vel *Quinisexta* Constantinopoli sub Pogonati F. Justiniano coacta, cujus canon LXIX. hic est: nulli omnium liceat, qui quidem sit in laicorum numero, *intra sacrum altare* ingredi, ab eo tamen nequaquam prohibitâ potestate atque autoritate Imperatoris, quandoquidem voluerit dona offerre creatori, ex antiquissima traditione. Alicubi ne oblationis quidem tempore laicis ad altare *intra Chorum* accessus patuit, sed ut habetur lib. iix. Constit. apost. c. 15. diaconi per ecclesiam obambulabant, è fidelium manibus munera suscipiebant & episcopo ad altare deferebant.

Græci Chorum Templi *βήμα* vocant, quanquam iidem

dem βῆμα aliquando non integrum *ambitum*, in quo *sacra mensa*, ambo & *cathedra* episcopi erat sed solum *pulpitum*, vel *sacram pergulam*, unde ad populum verba fieri solebant, appellarint. Docet hoc S. Chrysoftomus in prim. Pentecostes homilia, quam ipse adhuc presbyter coram episcopo suo Flaviano habuit: nisi esset, ait Spiritus S. in hoc communi Patre & Doctore (Flavianum respicit) quando paulo ante *Ἐν τῷ ἱερῶν βῆμα*, in hoc, in quo ipse nunc confisto, *suggestum* ascendit vobisque omnibus pacem dedit, non acclamassetis ei simul omnes: *καὶ τῷ πνεύματι σβ.* Et paulò inferius: nihil humanum est eorum, qua *ἐν τῷ ἁγίῳ βῆματι* in hoc *sanctuario* aguntur. Ecce in eodem sermone βῆμα, quod priori loco solum suggestum (die Kanzel) notat, paulo post totum chorum sacris tractandi & sacerorum ministris deputatum connotat. Oratio extat tomo v. operum Chrysoft. editionis Savil. num. LXXXIIX. His observatis varia SS. Patrum dicta & antiquos ritus cognoscere in proclivi est; βῆμα enim si pro pulpito aut ambone capiatur, βῆματ^ς in altera significatione sumti pars est.

PARTES CHORI.

Intra βῆμα five chorum Ecclesiæ tria, ad structuram templorum pertinentia animadvertimus, altare, suggestum & sedilia. *Altare* in medio erat choro adeoque in ipsa Templi medietate. Inde Augustinus serm. XLII. de verbis Domini mensam Christi in medio constitutam ait. Ordinariè autem in uno Templo non erat, nisi unum *altare*, vel *sacra mensa*, in qua τὰ ἁγία γῶρα, panis & vinum proponi atque eucharistia confici solebant. Testis ejus moris est Eusebius l. x. hist. eccl. cap. 4. ubi cùm magnificentum & splendidum Templum Tyri ejusque vestibulum, chorum, subsellia, marmoreum pavementum descripsisset, unius tantùm in eo altaris mentionem facit, *Sanctum sanctorum*, in-

quit *altare in medio* constitutum est. Sequiori ævo cum Missæ solitariæ in Ecclesiam inveherentur, multitudo altarium adeò invaluit, ut quot columnis sustentatur basilica, tot ferè altaria in eadem extent. Memorat quidem Gregorius l. 5. epist. 50. ad Palladium Sanctonensem episcopum XIII. altaria, quæ Palladius in ecclesia posuerit, sed hæc sine dubio monumenta vel *memoriæ martyrum* fuerunt, in quibus per natalitios ipsorum dies sacra solennia acta sunt, cujusmodi altaria in Templo Orentii à Thuano visa supra ostendimus. Cui usui sit in ecclesiis altare, breviter & nervosè Optatus Milevitanus l. VI. contra Parmeniarum docet, inquit: quid est *altare*, nisi *sedes corporis & sanguinis Christi?*

2. In Choro extabant *Ambo*. In ambone vel pulpito locabatur is, qui tractatum vel lectionem habebat. In ecclesia enim semper ea consuetudo viguit, ut sicut iudices in tribunalibus, in cathedris Doctores, illi jus dicunt, hi docent: ita *tractator* vel *lector* in eminenti loco, unde ab omnibus conspici poterat, cum plebe christiana commutaret verba. Jam inter Judæos moris erat, ut in cathedra Moſis Scribæ & Pharisæi locarentur Math. XXIII. 2. Exsertis verbis atque sub ipsis terminis de Esra, Legis instauratore id asseritur 2. Esdr. IIX. 4. Stabat autem Esdra scriba super *suggestum ligneum*, quod fecerant propter verbum & juxta eum stabat Mathathias &c. Quin & de Salomone II. Paralip. VI. 13. legimus, quod in divinissimo suo Templo inter miracula mundi computando *suggestum instar conchæ æneum* fecerit illudque in medio atrii posuerit. In ecclesia jam suo ævo hunc morem fuisse Cyprianus refert, ubi de Celerino confessore post insignem confessionem & fortiter toleratas carceris injurias ac plagas in lectorem ordinato sic ait: super *pulpitum* i. e. super *tribunal* ecclesiæ oportebat im-

imponi, ut loci celsioris' sublimitate subnixus & plebi uni-
 versæ pro honoris sui claritate conspicuus legat præcepta
 & evangelia Domini, quæ fortiter ac fideliter sequitur.
 Nim. *Tribunal ecclesiæ* ex quadam ob eminentiam similitu-
 dine pulchrè vocat. *Ambonem* dixit Socrates *ἀπὸ τῆ ἀνα-
 βαίνειν*, quòd superatis aliquot gradibus eò ascendi oport-
 teat. Verba Socratis l. vi. hist. eccl. c. 5. hæc sunt: Eutro-
 pius Eunuchus, qui imperatoris cubiculo præfuit & pri-
 mus ex Eunuchis dignitatem consularem ab Imperatore ob-
 tinuerat, sedulo dabat operam, ut lex ab Imperatore pro-
 mulgaretur, ne quisquam ad Ecclesiam, tanquam ad *asylum*
 confugeret, sed ut hi, qui eò profugerant, inde abriperen-
 tur, (discimus inde apud veteres Tempa eorum fuisse
 asyla, nec protrahere inde quenquam miserorum sine epi-
 scopi permisso licuisse) Quâ lege confestim ipse pœnas
 dedit. Nam simul atque promulgata fuit, Eutropius in
 offensionem apud Imperatorem incurrens confugit ad
 Ecclesiam, Johannes itaque (Chrysoftomus) episcopus
 cum ad basin altaris Eutropius procumberet & præ metu
 consternatus esset, assidens *ἔπι τῆ ἀμβωνῶ* h. e. in suggestu,
 unde antea quo facilius exaudiretur, concionari solebat
 orationem in ejus reprehensionem habuit. Nos vocamus
eine Kanzel vel ideò, quod Chorus in cujus summitate ambo
 extabat, olim cancellis à reliquo Templo fuerit divisus.
 Hinc supra de Theodosio pœnitente Theodoretus agebat,
ἠδὲ τὰς κιθαλίδας, intra cancellos h. intra chorum cancel-
 lis sceptum permanfisse pium principem atque eo nomine
 à S. Ambrosio fuisse reprehensum l. v. c. 17. vel quòd ipse
 ambo esset cancellatus non aliter atque fenestræ cancellis
 è ferro aut ligno sunt inclusæ. Neque verò prisci suos il-
 los ambones vel cancellos auro illustres, argento splendi-
 dos vel miris coloribus aut sculptilibus variegatos, sed sim-

plices, atque humiles esse voluerunt. Unde inter mores portentosos Pauli Samosatani hæresiarchæ in epistola Concilii Antiocheni episcopi hoc recensent, quod *gradum* sibi & *thronum* sublimem struxerit non tanquam Christi discipulus, sed separatim ad morem principum hujus seculi. VII. hist. eccl. c. 29.

3. In Choro erant tot & tam varia *sedilia*, ut à sedium frequentia & commoditate eum locum *Exedram* S. Augustinus l. XXII. de Civ. Dei c. 8. dixerit: Erant enim ibidem præter episcopi cathedram *sedilia* presbyterorum, *subsellia* diaconorum, aliorumque clericorum *mattæ*. Sic Julianus Apostata volens gentilium delubra apparatu & ordine Christianorum rituum adornare, dicitur in iisdem non aliter atque in christianorum Kyriacis *subsellia* & primarias sedes ordinasse ac super his Doctores lectoresque constituisse, apud Sozom. l. v. hist. eccl. c. 15. Quin & S. Athanasius, *malleus* ille *Arianorum* in epist. ad solitariam vitam agentes *throni* in Templis, *subselliorum*, *mensæ lignæ* & *tabularum* mentionem facit. De sessione in Choro notabilis est Synodi Laodicensis canon LVI. Non oportet presbyteros ante processionem episcopi introire sacrarium & sedere, sed cum episcopo debent ingredi vel in *subsellis* sedere, nisi forsitan infirmitate detineatur vel proficiatur episcopus. Vix rectius veterum Templorum forma constabit, quàm si unius Templi Tyrii *ἱερὸν* ab Eusebio l. x. hist. eccl. c. 4. exhibitam attendamus. Delineat ibidem Historicus 1. amplitudinem sacri chori. 2. externum Templi ambitum muro ita cinctum, ut cum quovis castello munito contenderit 3. vestibulum in sublime ad Solis usque radios protensum, ut omnium prætereuntium, infidelium quoque oculos animosque perstrinxerit 4. porticus quatuor, excelsis columnis inixas 5. atrium sub dio
radiis

radiis solaribus pervium 6. Symbola sacrarum expiationum fontes, è quibus ingressuri manus pedesque abluerint. Superfluum mihi videtur, addit, si domus hujus longitudinem & latitudinem & relucens operum ad spectum sublimitatemque ad cœlos usque tendentem, imminentes etiam pretiosas cedros Libani celebrare velim. Paulo post *sedes excelsissimas ad honorem præsidentium, deinde & subsellia* ordine locata & post omnia *Sanctum Sanctorum, altare* videl. in medio constitutum *cancellosq; ligneos* ad verticem usque artificiosâ cælaturâ fabrefactos narrat, quibus Chorus circumquaque ita fuerit cinctus, ut admirabilem videntibus aspectum exhibuerit: denique pavementum marmore stratum, sediliaque & ædes maximas & in gremio Templi & in atrio vel vestibulo mirâ arte structas ostendit.

Præter eas partes Templo *domuncula* erat annexa, quam *ediculam saluatoriam* vocarunt. In hac Episcopus sedebat, cum ad sacra facienda se pararet. Mentio hujus ædiculæ, quam alii *Pastophorium*, alii *Secretariam*, die *Sacristey* fuisse censent, apud Theodoretum in historia Theodosii pænitentis extat: ubi enim ad septa sacra pervenisset Imperator, ipse quidem Templum non est ingressus, sed accedens ad pontificem, qui in *edicula saluatoria* sedebat, obsecrat, ut vinculis se exsolvat. l. v. c. 17. Confer Eusebium l. iii. de vita Constantini M. ubi augustum Salvatoris Templum vel *Martyrium magnum* Hierosolymis excitatum delineat. De imaginibus sacris, Crucifixi præsertim, de picturis & sculptilibus, iconatris & iconomachis, de aliis Templorum ornamentis, vestibis sacris, vasis Templorum cæterisque ædium sacrarum partibus locus agendi *est didicit* erit alius.

SACEL-

SACELLA.

Præter cryptas, Cæmeteria, basilicas & Tempia aliquando *facella* sacris tractandis destinata reperias. Nescio, an his accensere debeam *Templum portatile* Constantini M. de quo Socomenus l. i. hist. eccl. c. 8. In palatio extruxit ecclesiam & tabernaculum ecclesiæ figuram exprimens cum contra hostes prælio contenderet, circumferre secum consuevit ad eum finem, ut neque sibi in solitudine vitam agenti neque exercitui deesset ædes sacra, in qua quidem deberent Deum laudibus efferre, precibus sollicitare & sacra mysteria percipere. Nostri *capellas* & suo idiomate *Capellen* vocant, quo nomine in jure canonico aliquando *altare* venit in sacra æde aliqua extructum, aliquando oratorium vel *sacra ædicula* à Templo sejuncta, aliquando *domuncula* Deo dicata extra quidem Templum sita, sed tamen templo contigua, aliquando *locus sacer* in Templo ferreis aut ligneis clausus cancellis, uno saltem altari conspicuus. Sic in Institutionibus juris canonici à Paulo Lancelotto conscriptis l. ii. titulus 22. de capellis monachorum extat, quæ sunt ædes sacræ ab ipsis monachorum cœnobiis sejunctæ, in quibus officium Capellani est rebus divinis precibusque vacare. Talis est, quæ integro milliari à monasterio Walkenredensi, patria mea distat in hercyniæ monte sita, *alta capella*, à monachis, per ignorantiam forte an per jocum capellam cum capra confundentibus, dicta *die hohe Geisse*. Nomen id adhuc superat. Unde dicantur capellæ, dubio non caret. Glossa in c. concedimus de consecr. dist. i. capellam à caprarum pellibus derivat: scribit enim capellas olim tuguria Deo sacra caprarum pellibus fuisse contacta. Nam Normannis, Slavis, Hungaris Tempia & Kyriacas ardenti Vulcano tradentibus aliâve ratione diruentibus, sacra in tuguriis agere coacti

acti sunt, quæ caprinis pellibus Franci tegere consueve-
rant. Verùm ego his accesserim, quibus capella est Fran-
cicum quidem nomen, sed quo significetur tegmen à Re-
gibus Francorum veluti tentorium in castris militaribus
extructum, ut exercitus populusque castrensis sub eo pre-
cibus aliisque officiis divinis vacarent. Unde adhuc *cappæ*
dicuntur vestes ad talos usque demissæ, quibus in festis so-
lennioribus, dum in choro divinorum officiorum preces
decantant, Canonici utuntur. Hujusmodi ergo sacrum
tentoriolum, quod esset cappâ contectum, *Capella* ejus-
demque clerici *Capellani* dici consueverunt. Quando-
quidem verò sacella ejusmodi vel capellæ à Principibus in
aulis vel ab aliis in re lauta viris juxta privatas domos loca-
rentur iisque sacrificulus vel capellanus peculiaris (siqui-
dem cum vulgo frequentare templa publicasque oratio-
num domos videbatur fordidum) mercede conductus ad
Missarum precumque solennia obeunda præponeretur,
ex his sacellis principum & capellis privatis, ubi sæpe qui
communicarent, deerant, Missas ἀκοινωνήτους vel solitarias
fuisse oriundas vero nobis videtur simile. Concilia sanè
passim in ejusmodi ædiculas, quæ Synodo Trullanæ εὐκτή-
ριοι οἶκοι, Concilio Nic. II. τὰ τῶν δεχόντων εὐκτήρια dicuntur,
invehuntur. Notanter Synodus Laodicensis can. 57. sta-
tuit: Non oportet in domibus oblationes fieri ab episco-
po vel presbyteris. A. C. 10 cccxxix. sub Ludovico &
Lothario Imperatoribus Concilium in tres libellos divi-
sum Parisiis coactum est. L. III. de *capellis palatinis* tale sta-
tutum cap. XIX. reperimus: presbyteris & capellis pala-
tinis contra canonicam auctoritatem & ecclesiasticam ho-
nestatem inconsultè habitis vestram monemus solertiam,
ut à vestra potestate inhibeantur, quoniam propter hoc &
honor ecclesiasticus vilior efficitur & vestri proceres & pa-
latini

E

latini

latini ministri in diebus solennibus sicut decet, vobiscum ad Missarum celebrationes non procedunt. Nam & obnixè deprecamur, ut in observatione diei dominici, sicuti jamdudum vos deprecati sumus, debitam adhibeatis curam, quatenus nisi magna compellente necessitate in ipsa die à curis & sollicitudinibus mundanis, quantum potestis, vos exuatis & quod tantæ diei venerationi competit & vos faciatis & sacro vestro exemplo vestros & doceatis & agere compellatis. Ex V. quidem seculo Chrysostomus homilia XIX in acta apost. indignabundus queritur, quòd multi opida, villas & prædia habeant, sed non sint solliciti de animæ cura, verùm de balneis & aulis ibidem extruendis. Hos igitur hortatur, ut in iis templa, oratoria & sacras ædiculas extruant. Ita enim futurum ait, ut perpetuæ illic preces, propter te, laudes & Synaxes propter te, oblatio per singulos dies dominicos pro prædio aut villa tua peragantur. Sed Missam in agresti Templo vel sacello, cum majora erant solennia, agere non licuit ex prohibitione Concil. Agathensis c. 14. imò nono adhuc seculo capellas palatinas & sacella principum, sacris publicis instantibus, ut supra patuit, Synodus Parisiensis inire prohibuit.

CAPUT III.

TEMPUS SACRORUM

CONVENTUUM.

SACRA QUOTIDIANA.

Divinis Ecclesiæ temporibus, cum devotio adhuc esset fervida, Synaxes fidelium erant quotidiana. Unde Act. II, 46. primævi illi Christiani quotidie unanimiter in Templo perdurasse dicuntur. Et de Apostolis Act. V, 42. asseritur non cessasse eos quotidie in Templo & domi docere & evangelizare
Jesum

Jesum Christum. Augustinus de praxi suorum temporum locutus: alii, inquit, quotidie communicant corpori & sanguini dominico, alii certis diebus accipiunt, alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi sabbato tantum & dominico, alibi tantum dominico. Et post nonnulla: ille honorando non audet quotidie sumere, & ille honorando non audet ullo die prætermittere. Hieronymus epist. 18. & 50. scribit, Romæ & in Hispania consuetudinem fuisse, ut quotidie à fidelibus eucharistia sumeretur. Gennadij Massiliensis in lib. de ecclesiasticis dogmatibus, quem Augustino olim tribuebant, hæc est sententia: quotidie eucharistiæ communionem percipere nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen dominicis diebus communicandum suadeo & hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit. Ex quotidiana hac veterum communionem quotidianos sacrorum conventus in V. E. fuisse constat cum extra conventus publicos communio ordinariè peracta non sit.

SABBATUM.

Antequam Synagoga honestè sepeliretur & sceptrum de Juda cum excidio Urbis totaliter auferretur, Sabbati quoque diebus sua sacra peregerunt apostoli, fortè ob Judæos hac rituum similitudine lucrificandos. Sic de Paulo ejusque comitibus Act. XIII. v. eod. refertur, quod Sabbato Synagogam ingressi lectionem legis & Prophetarum audierint, quæ finita Apostoli concio subsequuta est. Sequenti Sabbato pæne universa civitas convenit audire verbum Dei. Similiter Act. XX, 4. idem Apostolus per omne Sabbatum in Synagoga disputasse legitur. Quid? diu quoque post Apostolorum tempora præsci Christiani, præsertim Orientales non soli diei dominico, sed Sabbato quoque aliquid solennitatis tribuerunt. Docet hoc Gregorius

Nyffenus adversus eos, qui castigationes ægrè ferunt: Quibus oculis, ait, diem domini cum intueris, qui Sabbatum dedecorasti? an nescis hos dies germanos esse ac si in alterum injurius sis, te in alterum impingere. Quæ verò sit ista solennitas Christiani Sabbati, canon. xvi. Concilii Laodic. ostendit docens, quòd in Sabbatis evangelia cum aliis scripturis legi conveniat. Otium verò de die Sabbati in dominicum transferunt ejusdem Concilii Patres can. xxix. statuentes: Non oportet Christianos judaizare & in Sabbato vacare, sed operari eos in eadem die dominicum præponendo eidem diei. Si hoc eis placuerit, vacent tanquam Christiani, quod si inventi fuerint judaizare, anathema sint. Similiter Socrates l. vi. c. 8. Sabbato & die dominico conventus in Ecclesia agi solere scribit. Atque hinc est, quod græci adhuc ad sacra Sabbato conveniant, licet propterea eosdem *Sabbatianos* dixerit Humbertus Sylvæ candidæ Episcopus adversus Nicætam pectoratum declamans. Utriusque scripta *επιστολὴ* in Bibliotheca Patrum tomo vi. antiquæ lectionis Canisianæ habentur.

DIES DOMINICUS.

Sed & dominicum diem ab apostolorum ævo sacrum fuisse haud ineptè colligitur ex Act. xx, 7. ubi primo die Sabbati vel hebdomadis, dominico sc. qui dies solis erat, ad frangendum panem convenisse & in seram usque noctem ad sequentis diei auroram apostolicæ concioni attendisse dicuntur fideles; & ex I. Cor. xvi, 1. ubi de sanctorum collectis in usus pauperum apostolus ordinat, ut primo quoque die hebdomadis unusquisque apud se reponat. Diem dominicum disertè memorat Joh. Apoc. i, 90. Fui, ait, in spiritu in dominico die. Ita ergò in locum Sabbati dies dominicus, ipsis Apostolis auctoribus, videtur successisse. Proinde Ecclesia apostolicis vestigiis insistens diem hunc SEMPER

PER ET UBIQUE solennem habuit, docentibus illud ipsum Ignatio in epist. ad Magnesianos, Justino in apol. 2. Amprosio epist. 83. Rationem reddit S. Augustinus serm. 151. de tempore: Dominicum diem apostoli & apostolici viri ideò religiosâ solennitate habendum duxerunt, quia in eo Redemptor noster à mortuis resurrexit. Et paulo inferius: talibus indiciis dominicus dies extat insignis, ac ideò sancti Doctores ecclesiæ decreverunt omnem gloriam Judaici Sabbati in illum transferre, ut quod ipsi in figura, nos celebremus in veritate, quia tunc erit Resurrectio nostra vera, & remuneratio in anima simul & corpore perfecta. Prærogativas quoque ejusdem diei hoc ordine recenset: ipse dies dominicus fuit primus seculi dies, in ipso formata sunt elementa mundi, in ipso creati sunt angeli, in ipso quoque à mortuis resurrexit Christus, in ipso descendit è cælis in Apostolos Spiritus S. in solitudine misso cælitus manna Deus veterem hebræorum populum liberaliter ac mirificè pavit. Easdem sex prærogativas recenset Vener. Beda l. de eccles. officiis c. 1. Concilium Parifense sub Ludovico Imp. & Lothario c. 1. & epistola Synodica, quæ inscribitur ordinatio feriarum paschaliū per Thophilum Episcopum Cæsarensē &c. episcopos, Tom. II. operum Bedæ S. Augustinus serm. LII. de Temp. diei dominici privilegia auctius commemorat: Venerabilis est hic dies, inquit, qui dominicus dies & dies primus atque perfectus est & dies clarus, in quo visa est prima lux, in quo transgressi sunt filii Israel mare rubrum siccis pedibus, in quo pluit Manna Filiis Israel in deserto & quo Dominus baptizatus est in Jordane, in quo vinum de aqua in Cana Galilæa factum est, in quo benedixit Dominus V. panes, quibus satiavit VM. hominum, in quo resurrexit Dominus à morte & quo intravit Dominus domum clau-

ſam, ubi erant diſcipuli congregati propter metum Judæorum, in quo ſpiritus S. deſcendit in apoſtolos, in quo ſperamus Dominum noſtrum venturum ad iudicandum.

Ita verò ſanctum priſci diem dominicum habuerunt, ut non tantum ad ſolennia ſacra, ad lectionem Scripturæ, ad preces publicas, ad audiendos tractatus, ad euchariftiam ſumendam agmine factò tum concurrerint & ab omni opere ſervili ac profano conquieverint, ſed jejuniis quoque aut aliâ aliquâ anxietate ſolennia huius diei turbare nefas duxerint. Unde inter apoſtolorum, qui vocantur, canones ſanctio LXV. eſt: Si quis clericus inventus fuerit die dominico jejunare vel Sabbato præterquam uno ſolo (nempe eo, quod ſanctum dicitur & paſchæ contiguum eſt) deponitor: ſi autem laicus, ſegregator. Imò ab uxoribus quoque abſtinere in vigiliis dominicis oportuit. Ad eum enim modum Synodus in Foro Julio coacta ſub Carolo & Pipino fideles ad imminentem dominicum præparari cupit cap. XIII. Diem dominicum inchoante noctis initio h. veſperâ Sabbati, quæ luceſcit in primam Sabbati, quando ſignum inſonuerit vel hora eſt ad veſperinum celebrandum officium non propter honorem Sabbati ultimi, ſed propter ſanctam illam noctem primi Sabbati h. e. dominici diei cum omni reverentia & honorificâ religione venerari omnibus mandamus Chriſtianis: abſtinere primum omnium ab omni peccato & ab omni opere carnali, *etiam à propriis conjugibus* & ab omni opere & nihil aliud vacare, niſi ad orationem, concurrere ad eccleſiam cum ſumma mentis devotione, ceſſante omni cauſarum ſtrepitu, cum charitate & dilectione benedicere Deum Patrem & laudare totis medullis cordis unigenitum Dei filium, qui iſtam diem per glorioſam ſuam ſanctificavit reſurrectionem & hymnum dicere S. Spiritui, qui eam benedixit
per

per admirabilem suum adventum, quando in igneis linguis super beatos descendit apostolos &c. Quin & S. Augustinus divina in eos pænâ animadverti existimat, qui die sacro carnaliter commiscantur: Qui uxorem suam, inquit, in profluviis positam cognoscit aut in die dominico aut in qualibet aliâ solennitate se continere noluerit, qui tunc concepti fuerint aut epileptici aut leprosi, aut etiam fortè dæmoniacy nascuntur. Serm. cc xxxiv.

Ubi igitur Judaici Sabbati reverentia defuit, feria prima hebdomadis vel dies Solis ex Apostolorum instituto & unanimi ecclesiæ consensu ad publica sacra destinari & religiosâ, etiam *ab uxoribus, abstinentia* honorari cœpit, quanquam continentia illa rectiùs piorum arbitrio committi, quàm legibus sanciri vel imponi posse videtur.

VIGILIAE.

Neque vero interdium tantùm, sed & noctu sacros fuisse conventus reperias. Sic Act. xx. Paulus sermonem usque in mediam noctem protraxisse dicitur. Persecutionum quidem tempore dira necessitas nocturnos à piissimis illis protochristianis extorsit conventus. Cætus eos *antelucanos* dixit Tertull. l. de corona militis c. 3. Ad eosdem Plinius respexit, quando ad Trajanum Imper. perscribit, Christianos statò die ante lucem convenire solitos fuisse; Fuit ea res variis calumniis obnoxia, cum nocturna sacra antiquissimis XII. Tab. legibus prohibita essent. Inde traducti sunt Christiani de promiscuo concubitu post epulum lucernis extinctis admisso, in dialogo Justini cum Tryphone: de adoratis sacerdotum genitalibus, quam suspicionem Minutius Felix in Octavio nocturnis sacris appositam vocat. Cum primis in Magna, quæ vocari solet, hebdomade totas sæpe noctes in precibus, in hymnis, in spiritali lectione, in concione aliisque piis officiis

ciis cum jejuniis infomnes traducebant, eam præsertim, quæ diem paschatis proximè anteibat. Hinc Tertull. l. ii. ad Uxorem c. 4. ubi eam hortatur, ne post ejus obitum Viro infideli nubat, utitur inter alia hoc argumento quòd talis maritus non patienter laturus sit uxoris suæ absentiam nocturnam in anniversario pervigilio paschatis: quis, inquit, nocturnis convocationibus si ita oportuerit, à latere suo eximi libenter, feret? quis solennibus paschæ abnotantem uxorem securus sustinebit? Atque hinc natæ sunt in omni antiquitate percelebres *vigiliæ Paschales*, in quibus columnas cereorum per totam urbem Constantinus accendi fecit, ut in ejus vita l. iv. Eusebius refert; atque hinc apud pontificios natum credo *cereum Paschalem*. A paschalibus istis excubiis ad natale quoque festum aliasque majores solennitates mos in precibus & jejuniis vigilandi transiit. Hymni, qui in nocturnis sacris canebantur, *lucernales*, *lucernariæ* preces & officium *lucernarium* vocabantur. In nocturna sacra cum Vigilantius Barcilonensis Ecclesiæ presbyter inveheretur nec nisi paschales Vigiliæ admitteret, *Dormitantium* eum S. Hieronymus dixit. Post cum autelucanæ hæ Synaxes lucifugis quibusdam & tenebrionibus ad opera tenebrarum sectanda essent occasio, Synodus Elibertina, quæ non ita diu post Magnam Nicænam habita est, à vigiliis ad martyrum memorias fieri solitis fœminas can. xxxv. prohibet: placuit prohiberi ne fœminæ in Cœmeterio pervigilent eò quòd sæpe sub obtentu orationis scelera committantur.

Sunt qui ex Augustini serm. xxi. ad fratres in Eremito persuasi affirmant S. Ambrosium Monicæ matris Augustini instinctu usum vigiliarum omnem ab ecclesia proscripsisse propterea, quod Christiani ludis & choréis sanctas noctes transigerent. Tantum verò idà verbo abest, ut eo
potius

potius tempore, quo S. Monica Mediolani vixit, occasione persecutionis Arianorum vigiliæ majori celebritate fuerint observatæ & auctæ. Nam præter longiores excubias, frequentiore cætum, conciones ad populum, S. Ambrosius vigilijs *hymnos sacros* addidit. Intererat illis unà cum cæteris, imò primas tenebat S. Monica, teste Augustino l. ix. Confess. c. 7. excubabat pia plebs, inquit, in Ecclesia mori parata cum suo episcopo, servo tuo. Ibi mater mea, ancilla tua sollicitudinis & vigiliarum primas tenens orationibus vivebat. Tunc hymni & psalmi ut canerentur secundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabesceret, institutum est & ex illo in hodiernum retentum, multis jam ac pæne omnibus gregibus tuis & per cætera orbis imitantibus. Apud ecclesias quidem Africanas in Vigilijs *usus citharæ* irrepsit, cui consuetudini illud Ps. LXX. prætendebant: Psallam tibi in cithara Sanctus Israel, Augustini tamen operâ pravus hic mos sublatus est, ipsomet id fatente tract. i. in Ps. 32. Videtur igitur pseudonymus fuisse, qui vigilijs à S. Ambrosio abrogatas ad fratres in Eremo scripsit, Seculo VI. præcipitante circa tempora Pelagij Papæ, Matisconæ duæ fuerunt Synodi, quarum posterior pro die dominico ad pristinam observantiam reducendo habita singulis dominicis vigilijs præmittendas censuit. Canon enim i. hic est: Noctem quoque ipsam, quæ nos insperatæ luci inaccessibili reddidit, spiritalibus exigamus excubijs nec dormiamus in ea, quemadmodum dormitant, qui nominatenus Christiani esse noscuntur, sed oremus & vigilemus sacris operibus, ut digni habeamur in regno cohæredes fieri Salvatoris. Post seculi demum VII. primordia Antifiodori circa tempora Deus dedit Papæ Synodus collecta vigilijs inhi-
bet can. 3. Non licet compensas (sacros conventus) in do-
mibus

F

mibus

mibus propriis nec vigiliis in festiuitatibus sanctorum facere. Et can. 5. omnino & inter supradictas condiciones, quas in honore Domini Martini observant, vigiliis omnimodis prohibere. Ita ergo gliscentibus & multiplicatis scandalis ac re maturius atque sedatius a piis pensitata item est in sententiam, quam suaserat Vigilantius: abrogatis enim nocturnis sacris jejunatum est pridie diei cujusque festi, retento vocabulo *Vigiliarum*, quamvis diurno tempore observarentur, ut monet Polydorus Virgilius l. vi. de inventoribus rerum c. 4. ubi sic ait: nocturna sacra semper fuerunt multorum scelerum causa, id quod ad extremum fuit; quamobrem Romana severitas teste Livio, Bacchanalia damnarit, cum sub nomine religionis stupra puerorum faminarumque promiscua atque corruptelae omnis generis fieri cepissent; & Diagondas Thebanus (teste Cicerone de Legibus) omnia nocturna sacra ob illud ipsum lege perpetua sustulit. Haec Virgilius. De Christianorum quoque vigiliis Bellarminus l. iii. de Ecclesia Triumphante testis est c. ult. ob flagitia fuisse intermissas: in profestis magnorum dierum, ait, consueverat ecclesia vigilare & jejunare. — Caeterum quoniam paulatim occasione nocturnarum Vigiliarum abusus quidam irrepere ceperant vel potius flagitia non raro committi, placuit Ecclesiae nocturnos conventus & Vigiliis proprie dictas intermittere ac solum in eisdem diebus celebrare jejunia.

**FESTA AB ADVENTU USQUE
AD PASCHA.**

Fuere praeterea crescentibus seculis dies quoque festi pro sacris agendis multiplicati. Festa primaria sui seculi S. Augustinus epist. cxix. ad Januarium brevi catalogo complexus ait: quae non scripta, sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi

telligi vel ab ipsis apostolis vel plenariis Conciliis (quorum in Ecclesia saluberrima est auctoritas) commendata atque statuta retineri , sicuti quòd Domini Passio & Resurrectio & Ascensio in cœlum & adventus Spiritus S. de cœlo anniversariâ solennitate celebrantur. Unde patet jam Augustini ævo per totum Orbem Christianum receptas fuisse solennitates 1. Passionis Dominicæ vel Quadragesimæ. 2. Paschatis. 3. Ascensionis. 4. Pentecostes. Nos ut origines festorum totius anni , quæ quidem præ ceteris solenniora sunt, demonstramus, ab *Adventu* auspicamur h. e. à sacratissimo illo tempore , quo Ecclesia animos fidelium piè, justè sobriè vivendo ad memoriam Nativitatis Dominicæ præparat atque ut beatam illam spem & illustrem Adventum magni Dei & Servatoris nostri expectent , cohortatur. Ab Adventu enim suos Ecclesia annos orditur. Prima hujus festivitatis mentio est apud Maximum Episcopum Taurinensem , insignem homiletam sub Honorio & Theodosio juniore circa A. C. ccccxx. celebrem , cujus de Adventu Domini homilia extat. Unde si tituli concionum cum homiliis eundem auctorem habeant , è quinto seculo festum Adventus derivari poterit. Nuptias in Adventu Synodus Ilerdæ (quæ hodiè Lerida est) in Hispania anno XV. Regis Theodorici h. e. A. C. lxxix. habita prohibet. Suis decretalibus eundem canonem (nam inter acta conciliaria non extat) Ivo Carnotensis & ex Ivone Gratianus suo decreto 33. q. 4. inseruit : Non oportet à Septuagesima usque in octavam Paschæ & tribus hebdomadibus ante festivitatem S. Johannis Baptistæ & ab Adventu Domini usque post Epiphaniam nuptias celebrare. Quod si factum fuerit, separentur.

Adventum *Ferie natales* excipiunt , Gregorio Theologo , cujus in Natalem Domini oratio extat *γενέθλια τῆ*

F 2

ΣΩΤΗ-

F. Natalc.

Σωτήρ & *Epiqbania, Theophania* dictæ: alijs *dies luminarium* fortè ob lumina in vigiliis hujus festi ad exemplum pastorum Bethlehemi excubias pro grege agentium institutis solita accendi: alijs *festorum omnium metropolis* alijs *unum de majoribus solennibus*. Nobis *Weihenacht* veteri germanorum & gallorum consuetudine, qui temporum spatia noctium nominibus efferebant. Dicitur autem *Weihenacht* *ἡμέρα τῆς μωείσθαι* ob noctem illam sanctam, quâ de virgine Filius Dei nasci dignatus est. Jam tertio seculo solennem fuisse natalem Domini, ex ultima persecutione constat, quando Maximinus multa millia fidelium, qui in Servatoris Natalitio ad sacra convenerant, Nicomediæ in Templo succenso concremavit, attestante Niceph. l. vii. c. 6. Idem hic auctor Justino tribuit, quod nativitas Christi toto terrarum orbe fuerit honorata l. xvii. c. 28. Videtur nim. hic Imperator aliquid ad celebritatem ejus addidisse & civilibus fortè legibus præcepisse, ne quis in hac solennitate opera manualia, servilia, non sacra tractaret, quod antea canonibus ecclesiæ fuerat sancitum. Solennitatem hujus festi S. Ambrosius l. iii. de Virginibus describit, cum inter alia solennia Sororem suam Marcellinam eo die coram multitudine fidelium investitam scribit: cum in Salvatoris Natali ad Apostolum Petrum Virginitatis professionem vestis mutatione, Soror sancta, signares (quo enim melius die, quam quo Virgo posteritatem acquisivit,) astantibus etiam puellis Dei compluribus, Liberius, bonas, inquit, nuptias filia desiderasti. Vides, quantus ad Natalem Sponsi tui populus convenerit & nemo impastus recedet &c. Si genuinæ essent constitutiones apostolicæ, quæ sub Clementis nomine circumferuntur, festi hujus auctores ipsos ab apostolos esse facile constaret, Ita enim l. v. c. 23. legimus: dies festos custodire, Fratres, in primis diem
Nata-

Natalem, qui celebretur à vobis xxv. noni mensis: Post quem *Epiphaniæ* dies sit vobis in maximo honore, quo die Dominus propriam divinitatem ostendit, Celebretur is sextadecimi mensis, post quem servandum est à vobis *jejunium quadragesimæ* continens memoriam conservationis & legislationis Domini. Celebretur hoc jejunium antè *jejunium paschæ*, quod incipiens à secundo Sabbati desinat in *Parascven*, post quos dies soluto jejunio aggredimini *santam paschæ hebdomadam* jejunantes in ea omnes cum timore & tremore.

Proximum à Natalitijs Christi ponimus Festum *Circumcisionis*, quod statim ab initio nascentis ecclesiæ institutum non fuit, sed ante secula non adeò multa mentio ejus fieri cæpit. Fuere quidem Kalendæ Januarij semper in Ecclesia solennes, sed sub dispari ratione: cum enim pagani eo die victimas multiplicarent, dapes publicas instruerent, turpes agerent choreas, nefanda & cruenta spectacula frequentarent, Christiani eodem die in *publico* erant *luctu* & sacra pro expiando Numine additis *jeuniis* & *litanis* agebant. Inde August. Ps. xcix. per ipsos hos dies, inquit, jejunamus, ut quando ipsi lætantur, nos pro illis gemamus. Meminit hujus *jejunii* Ordo Romanus c. 20. & Albinus Flaccus de divinis officiis c. 4. *Litanias* quoque eo die cani solitas Synodus II. Turonensis Anno Christi (præter propter.) 10LXXI. coacta memorat can. 18. Quia inter Natalem Domini & Epiphaniam omni die festivitates sunt, itemque prandebunt (monachi) Excipitur triduum illud, quo ad calcandam gentilium consuetudinem patres nostri statuerunt privatas in Kalend. Januarij fieri *litanias*, ut in Ecclesiis psallatur & hora octava in ipsis Kal. Circumcisionis *Missa* Deo propitio celebretur. *Strenas* eodem die mitti solitas Synodus Antifiodori post initia Seculi VII. collecta

F. Circumcisionis.

inhibet, dum si inchoat: non licet Kalend. Januarii ve-
cola aut cervolo facere (quid his sibi vocibus velit Syno-
dus vel si quod sphalma subsit, à doctioribus audire ma-
lim (vel strenuas diabolicas observare, sed in ipsa die sic o-
mnia beneficia tribuantur, sicut & reliquis diebus. Aboli-
to paganismo alios quoque mores ecclesia induit & diem
bicipiti Jano hactenus sacrum Servatori & capiti suo hilari
quâdam solennitate dedicavit, sed eo nomine, quòd esset
Octava Nativitatis dominicæ. Unde in antiquis etiam ri-
tualibus & liturgicis libris simplicem hunc præ se fert titu-
lum, imo qui ante hos 10 annos totius anni dies festos descri-
pserunt, F. Circumcisionis non meminerunt. Si genuinum
esset sacramentarium Gregorii, longè foret antiquius hoc
festum: nam ibidem in præfatione hujus diei habentur ista:
per Christum D. N. cujus hodiè Circumcisionis diem & Na-
tivitatis Octavam celebravimus. Novitatem tamen hujus
festi ipse Cardinalis Bellarminus l. iii. de Ecclesia Trium-
phante c. xv. agnoscit, ubi festa Dominica exponit: Cir-
cumcisionis festum, ait, videtur esse satis recens. Nam
non solum veteres Patres non meminerunt ejus festi, verum
etiam (Doctores mediæ ætatis) Isidorus, Micrologus. Ama-
larius, Rabanus, Walfridus Strabo, qui describunt officia
omnium festorum, meminerunt quidem officii diei Octa-
væ Natalis Domini: B. Bernhardus tamen & ante eum Ivo
Carnotensis sermones habent de ipso festo Circumcisionis.
Antiquiores producere non potest Bellarm. præter duos i-
stos, quorum alter in Abbatem Clarævallensem A. C. 1096
sublimatus est, alter in Carnotensi cathedra circa A. C. 1090
floruit.

F. Mago-
rum.

A Calendis Januarii *Epiphaniæ* diem vel *Magorum*
festum, cum quo apud Ægyptios natalitia Servatoris co-
incidunt, celebramus. Inter primos facilè est Gregorius
Nazi-

Nazianzenus, cognomento Theologus, clarus A.C. cccLXX
cujus in sancta Epiphaniarum lumina oratio habetur. Epi-
phaniam vocamus propter novam illam & mirabilem stel-
lam, quæ gentibus in umbra mortis sedentibus apparuit &
Magos, Dynastas è Persia ad Jesuli nostri præsepe adduxit.
Diem luminarium prisca vocarunt non tantum propter illu-
minationem gentium, sed quòd eodem die olim in Eccle-
sia Baptismus Christi in memoriam fuerit reductus. Un-
de in sua orat. Gregorius : Sanctus, inquit, *luminum dies*,
ad quem pervenimus quemque hodie divino beneficio ce-
lebravimus, Christi mei h. e. veræ lucis omnem hominem
in mundum venientem illuminantis baptismum habet, &c.
Baptismus enim ab antiquis *Φωτισμὸν* & Neophytos h. e.
nuper corpori Christi mystico per baptismum insertos fu-
isse *Illuminatos* dictos vel unius Cyrilli Hierosolymit. cate-
cheses mystagogicæ ad Illuminatos fidem faciunt. Quam
solennis in V. E. fuerit Epiphaniæ solennitas, Cæsarum
præsentia declarat, cum ne impii quidem principes à pu-
blicis sacris tum abesse voluerint. Scribit Ammianus
Marcellinus l. XXI. quòd Julianus Apostata, dum sub pallio
simulatæ religionis Christianæ latens impietatis suæ vene-
num textit, cum in Galliis ageret, eo die à sacris Christia-
norum abesse noluerit. Unde jam IV. Seculo adeò festivus
erat hic dies, ut qui publico sacrorum exercitio tum non
intererat, à Christiana fide haberetur extorris. Quin &
Theodosio laudatissimo Principi tam sanctus erat hic dies,
ut per VII præcedaneos dies totidemque subsequentes judi-
cialem strepitum omnem conticescere juberet l. 2. Cod. de
feriis.

Epiphaniam inter & inter quadragesimam *Purifica-* F. Purifi-
tionis Festum situm est, quod Hypante vel Hypapante i. e. cationis,
humilis occurfus Simeonis apud græcos dicitur, quia fe-
nex

nex oblato puerulo obviam processit piisque eundem amplexibus & cygnæo cantico excepit. Purificationis festum, latini vocant, quòd B. Virgo juxta legem, ceu' alia aliqua puerpera se purificandam duxerit, quanquam Legi de puerperarum immunditie non erat subjecta cum ex virili semine non concepisset. Circa originem hujus festi Sigebertus Historicus, monachus Gemblacensis in suo Chronico auctor est, Justiniani auspiciis Constantinopoli paulo ante medium Seculi VI. festum hoc esse institutum, cum maximum à pestilentia periculum immineret. Vulgò festum candelarum *Lichtmessen* vocatur. Et Missa quidem dicitur ex veteri usu, quando Missam usurparunt pro solenni aliqua festivitate vel die festo, Sic in Capitulari Caroli M. lib. secundo 18. legitur: Spatium usque ad Missam S. Martini dare decrevimus. Et 20. At Missam S. Andreae restaurati fiant. Inde adhuc manent nomina *Ostermesse/ Michaelismesse/* & in præsentia *Lichtmesse/* à luminibus, quòd festo hoc die apud pontificios cerei consecrentur, ad quos (ut ajunt) diabolus contremiscat. Apud ethnicos legimus Proserpinam olim facibus & lychnis ad eum ferè modum fuisse cultam, quo Pontificii Matrem Dei tum venerantur, quin & ipse Baronius per abrogata Lupercalia à Gelasio R. P. ansam huic festo datam profitetur & morem consecrandi candelas à Saturnalibus ethnicorum derivat. Notis in martyrologium Rom. postrid. Kal. Febr.

Quadragesima.

Post Hypantes festum *Quadragesima* incidit, cujus observantia ab apostolico ævo videtur manasse, Tanta autem erat, ut qui his diebus religiosior non inveniretur, inter Christianos non agnosceretur. Primus has anni decimas jejuniis honorandas clero suo præscripsisse fertur. Telesphorus, qui Romæ A.C. cxxxvi. cathedram tenuit. Telesphorus, inquit Platina, constituit, ut VII. hebdomadibus

dibus plenis ante pascha jejunium observaretur, Decretum ejus apud Gratianum dist. IV. c. Statuimus tale est: Statuimus, ut VII. hebdomadas plenas ante sanctum pascha omnes clerici in sortem Domini vocati à carne jejurent. quia sicut discreta debet esse vita clericorum à laicorum conversatione: ita & in jejunio debet esse discretio. — Has ergò VII. hebdomadas clerici omnes à carne & deliciis jejurent & hymnis & vigiliis atque orationibus inhærere, die noctuque studeant. Tempore itaque Telesphori, si hoc sit ejus decretum, carnis privium quadragesimale solos clericos obligabat. De cætero in quadragesima publicus erat Ecclesiæ super passione Dominica & peccatis mortalium, quæ alia ratione expiari non poterant, luctus: Catechumeni in paschate baptizandi per hos dies sedulo in fide & vita christiana informabantur: Pænitentes districtè & severius vivebant, circa Festum cum Ecclesiâ reconciliandi. Circa numerum dierum mirè olim variatum est. Illam, scribit Sozomenus l. VII. cap. XIX. quæ huc processit & quæ appellatur quadragesima, in qua populus jejunit, computant alii in VI. dierum septimanas, ut Illyrici & qui ad occidentem siti sunt, juxta ac universa Libya & Ægyptus cum Palæstina, alii in VII. ut Cpolitani & Nationes circumstantes usque ad Phænices, alii sparsim tres inter sex aut septem istas jejunt, alii tres, quæ immediatè pascha præcedunt, continuant: alii duas, ut Montani sectatores. Ita quidem ille. Notabilis autem est hæc temporum diversitas: documento enim est, quadragesimam non ex divina quapiam & invariabili constitutione, sed jure positivo ecclesiastico proficisci. Itaque S. Patres, è quibus non nemo quadragesimam non ab hominibus constitutam, sed divinitus consecratam, nec terrena cogitatione adinventam, sed cælesti majestate

G

præ

præceptam affirmat, alius divinam legem ab ipso Domino Jesu XL. dies & noctes jejunante in eremo adornatam vocat, verbis *excessivis* & ut solent Oratores, cum amplificare alicujus rei dignitatem & auditoribus contemptum illius excutere satagunt, *μάλα ῥητορικῶς* loquuntur.

Dies Cinerum,

Initium quadragesimæ est à *die cinerum*, quo incineratio fit h. est cineres consecrantur & fidelium capitibus in signum luctus & recordationem mortis imponuntur. Institutum hoc Gregorio M. Baleus cent. i. scriptorum Britann. tribuit. Sed jam ante Gregorium in Concilio Agathensi, quod ineunte seculo VI. habitum est, mentio hujus incinerationis facta est, si vera canonum collectores Burchardus Wormatiensis, Ivo Carnotensis & Gratianus Ord. Bened. monachus Bononiensis d. l. c. 63. narrent nam in Tomis inter canones hujus Concilii altum ea de re silentium. Sed juvat verba ipsa tradere, cum pænitentiam solennem emphatice ob oculos ponant: *In Capite quadragesimæ* omnes pænitentes, qui publicam suscipiunt pænitentiam, ante fores ecclesiæ se repræsentent episcopo civitatis, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demissis reos se esse ipso habitu & vultu protestantes, Ibi adesse debent Decani h. e. archipresbyteri parochiarum, & presbyteri pænitentium, qui eorum conversationem diligenter inspicere debent, & secundum modum culpæ pænitentiam per præfatos gradus injungere. Posthæc eos in ecclesiam introducant & cum omni clero VII. pænitentiales psalmos in terra prostratus Episcopus cum lacrymis pro eorum absolutione decantet, tunc resurgens ab oratione, juxta quod canones jubent, manus eis imponat, aquam benedictam super eos spargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum operi-

operiat & cum gemitu & crebris suspiriis denunciaret eis, quod sicut Adam projectus est de paradiso: ita ipsi ab ecclesia pro peccatis abjiciantur. Post hæc jubeat ministros, ut eos extra januas ecclesiæ expellant, clerus verò eos prosequatur cum Responsorio: in sudore vultus tui vesceris pane tuo &c. ut videntes sanctam ecclesiam pro facinoribus suis tremefactam atque commotam non parvipendant pænitentiam, In sacra autem Domini Cœna rursus ab eorum Decanis & presbyteris ecclesiæ liminibus represententur. Ita Patres Agathenses. Patet ex eo, quam solenne apud priscos quadragesimæ exordium fecerint pænitentes.

In Quadragesimam Festum *Annunciationis* Mariæ incidit, quanquam in Hispania & alibi terrarum olim in Octavum diem ante Natalem Domini fuerit rejectum, cum festa agere publici luctus tempore vel in quadragesima non videretur congruum. Unde in Laodiceno quoque Concilio can. LI. Statutum reperimus, quòd non oportet in quadragesima martyrum natalitia celebrare, sed eorum tantum in Sabbato & dominica fieri mentionem. Satis antiqua & honorifica festi Anunciat. foret memoria, si genuinus esset sermo, qui S. Athanasio Tomo III. operum ejus tribuitur, de sanctissima Deipara: in eo enim primum & prorsus venerandum atque unum ex dominicis festum hoc vocatur. Sed videtur hic sermo ab alio aliquo profectus, qui post concilium tertium & quartum, imò etiam sextum floruit, ait Bellarm. in catal. script. eccl.

Vix autem sanctior omnibus retrò seculis hebdomas extitit, quam *Magna* illa, infimæ latinitati *Pænosa* dicta. Nobis *die stille Woche* vel *die Karwoche* à veteri voce *Kar* / quæ in civili foro mulctam pro delicto, in foro sacro aliquot dierum in solo pane & aqua jejunium notat. Rigi-

Dominica
Palmarum

da enim apud priscos jejunia per hanc hebdomada erant. Initium sacræ hebdomalis est à Dominica Psalmarum dicta à ramis frondibusque palmarum vel propter palmas in via stratas, dum Hierosolymam ingressus est Servator, vel propter processionem cum palmis, quæ hoc die à pontificiis *Παλιμφορίας* fieri amat, qua de re Regnum papisticum Th. Naogeorgii vide. Dicitur eadem dominica *Competentium*, quod hoc die Symbolum catechumenis secundi ordinis (trium enim ordinum apud veteres erant catechumeni, *Audientes*, qui ad auditum verbi admissi in fide & vita Christiana informabantur. *Competentes* seu *Competitores*, qui jam instructi gratiam baptismi unpetebant, *Candidati christianismi*: *Electi*, qui post peracta scrutinia præ cæteris ad baptismum suscipiendum erant electi) vel *Competentibus* daretur; propter vicinitatem paschatis, in quo baptizari solebant. Unde jam in Agathensi Concilio statutum legimus: Symbolum etiam placuit ab omnibus ecclesiis unâ die h. e. ante octo dies dominicæ Resurrectionis publicè in Ecclesia coram pœnitentibus prædicari can. 13. Conf. Alcuinum de div. officiis, c. 14. Vocatur porrò Dominica *Osanna* propter applausum populi clamantis: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini. Vocatur denique *capitularium* vel domini calavantium capita, quia tunc lavabantur capita baptizandorum, non infantium tantum, de quibus id affirmat Isidorus l. 2. de div. offic. c. 27. sed adulatorum quoque, ut, refert Pamelius in Tertull. de baptismo, Rationem Alcuinus addit: ne sordidati observatione quadragesimæ ad sacrum chrisma accederent, de div. off. c. 14.

Magna he-
bdomas

De cætero per omnes magnæ hebdomadis dies in Ecclesia passim humicubationes, abstinentiæ ab uxoribus, preces lacrymis immixtæ, vigiliæ, jejunia, eleemosynæ aliaque

liaque pietatis exercitia frequentabantur. In rem præsentem Synodus Matisconensis. II. pronunciat. c. 2. Pascha itaque nostrum, in quo summus Sacerdos & Pontifex pro nostris delictis nullam habens obnoxiationem peccati immolatus est, debemus omnes festivissime colere & sedulæ observationis sinceritate in omnibus venerari, ut illis sanctissimis VI. diebus nullus servile opus audeat facere, sed simul omnes coadunati hymnis paschalibus indulgentes perseverationis nostræ præsentiam quotidianis sacrificiis ostendamus laudantes Creatorem & regeneratorem nostrum vesperi & meridie. Ita Patres Matisconenses. Post ubi non omnes sacræ hujus septimanæ dies pro feriatis habiti sunt, duæ tamen feriæ V. & VII. solennes manserunt. Et quinta quidem feria ob venerabilis sacramenti unde veluti leones, ignem spirantes, diabolo formidolos surgimus, institutionem; dicta *Natalis Calicis* dominici. Unde Eligius Novionii in Belgio Episcopus, qui jam ante M. annos claruit, homilia X. Vocatur, inquit, hæc dies Cæna Domini, vocatur & Natalis Calicis & merito talibus præfulget vocabulis, quia hac eademque die mysticum pascha Dominus cum discipulis celebrans Sacramenta corporis & sanguinis suis illis & per illos nobis tradidit & ipse celebrationis initium fecit. Vide Casaub. varios Eucharistiæ titulos proponentem Excerc. XVI. c. LV. Feriâ autem sexta, ipso *Parasceves* die solenne erat & districtum jejunium. Unde Patres Concilij Toletani IV. Præsidente Isidoro Hispalensi: Quidem, inquit, in die passionis dominicæ ab hora IX. jejunium solvunt, conviviiis adhibentur & dum Sol ipse eadem die tenebris palliatus lumen subduxerit ipsaque elementa turbata mœstitiam totius mundi ostenderint, illi jejunium tanti diei polluant epulisque inserviunt. Et quia totum eundem diem universalis ecclesia

No. alis Calicis

Parascevas

clesia propter passionem domini in mœrore & abstinentia peragit, quicumque in eo jejunium præter parvulos, senes, languidos ante peractas indulgentiæ preces solverit, à paschali gaudio depellatur, nec in eo sacramentum corporis & sanguinis Domini percipiat, qui diem passionis ejus per abstinentiam non honorat. Vocatur *der Carfrey Tag* non tam ab immensa illa *charitate*, quam eo die hominibus perditis Filius Dei morte suâ ostendit vel quòd pretiosior dies ab orbe condito non illuxerit, quàm à voce germ. obsoletâ *Kar* / in Conciliis dicta *Carrina*, de qua supra: cùm eo die Servator pro multâ peccatis nostris debita satisfecerit; & cùm sacrosanctum in pane & aqua jejunium eo die esset.

Sabbatum
M,

Parasceve contiguum est *Sabbatum* quo κατ' ἰξοχλὴ *Magnum & Sanctum* vocatur, ut videre est apud Photium ad can. apost. 53. Sed & eo die rigidum erat jejunium, cuius violatio grande putabatur nefas. Pulcrè hoc jejunium Constitutiones Apostolicæ, licet *ψευδοπύραθοι* intimant l. V. c. 19. In diebus paschæ (hebdomada *παρασκευῶν* intelligunt) jejunare incipientes à secunda sabbati usque ad Parasceven & Sabbatum dies sex solo pane utentes, sale atque oleribus, & aqua in potum. A vino & carnibus vos abstinete in iis diebus: sunt enim dies luctuosi, non festi. Parasceven tamen & sabbatum integrum jejunent, qui quidem possunt, nihil gustantes usque ad gallicantum noctis. Quòd si quis non potest duorum dierum jejunium continuare, servet saltem sabbatum. Et c. xx. in reliquis diebus ante Parasceven nonâ horâ vel vesperi quilibet cibum capiat vel quemadmodum quisque poterit, à vespera autem quinti diei usque ad gallicantum vigilantes atque in ecclesiam convenientes vigilate orantes & rogantes Deum, legentes in vestra pernoctatione legem prophetas, psal-
mos

mosusque ad galli cantum baptizatisque catechumenis vestris & lecto Evangelio in timore ac tremore luctum definite rogateque Deum, ut convertatur Israel &c. Sed de pernoctatione Sabbati Magni supra in vigiliis paschalis egimus.

FESTA A PASCHATE VSQVE AD ADVENTVM.

Ex festis omnibus in sacra Antiquitate Festum *Paschatis* præeminet, quod ex Judæorum sacris ad Synaxes fidelium traductum est, sed sub dierum aliquo discrimine: alii enim in Asia, fortè Johannis Apostoli exemplum secuti eodem cum Judæis die n. XIV. luna, alii in Ecclesia Roman. in diem dominicum pascha referendum censuerunt, quòd eo die Dominus ex mortuis resurrexisset. Natum hinc est diuturnum illud in Ecclesia Schisma, Episcopis Romanis insolentiùs partes suas tractantibus & anathemata evibrantibus contra *Tessares cædecatitas* vel *Quartadecimanos*; ita enim eos vocabant, qui decima quarta lunâ cum Judæis pascha agebant. In Romana autem Ecclesia primus fuisse Pius fertur, qui ut pascha die dominico fieret, sanxit, inductus Hermetis libro pastorali, in quo angelus pastoris personam induens tale quid ei mandârat. Mansit hoc schisma usque ad magnum Concilium Nicænum, in quo Cæsarea auctoritate Constantini Magni ea res sopita est. Historiam certaminum de die paschatis apud Euseb. l. v. c. 21. & seqq. legere est. In eodem sancto Concilio munus conficiendi *cyclos paschales*, & paschales epistolas, quibus quo dominico fieret quovis anno pascha, notabatur, per ecclesias mittendi Alexandrino patriarchæ demandatum est, ne diversis dominicis pascha agi contingeret atque novum

Pascha.

vum

vum inde formaretur schisma. Eiusdem Concilii Patres *cyclum* constituerunt *Enneadecaterida* dictum, quem *numerum aureum* vocamus. Est autem *Enneadecateris* periodus decem & novem annorum. Docet ista Ambrosius sub initium epistolæ LXXXIII. dum ad episcopos per Æmiliam constitutos: non mediocris, ait, sapientiæ esse diem celebritatis paschalis definire & scriptura divina nos instruit & traditio majorum, qui convenientes ad Synodum Nicænam inter illa fidei ut vera, ita admiranda decreta etiam super celebritate memorata congregatis peritissimis calculandi decem & novem annorum collegere rationem & quasi quendam constituere, circulum, ex quo exemplum in annos reliquos gigneretur. Hunc circulum *æneadecaterida* nuncuparunt &c. Literis paschalibus Alexandria emissis in Ecclesia latina publicè ad Epiphaniæ festum diaconus diem paschatis & initium quadragesimæ intimabat: & per *Formatas* de eodem die reliquæ sub cathedrali parochiæ certiores reddebantur. Hinc Patres Concilij Arelat. i. ad Sylvestrum R. P. scribunt: De observatione paschæ Domini, ut uno die & tempore per omnem orbem observetur & juxta consuetudinem literas ad omnes Tu dirigas. In Africanis Ecclesiis Metropolitanos Carthagin. diem paschatis per literas denunciabat, ut patet ex Concilio Carthag. i. cap. i.

Quinquagesima

Post Pascha agi olim solebat *Quinquagesima* h. e. L. illi dies, qui à paschate proximè sequuntur, festi erant omnes, docentibus eum morem Tertulliano l. de idol. & Ambrosio ferm LXI. cujus apud Gratianum dist: LXXVI. cap. 8. Scire, hæc sunt verba: per hos quinquaginta dies
nobis

nobis est jugis & continuata festivitas ita, ut hoc omni tempore neque ad observandum indicamus jejunia, neque ad exorandum Deum genibus succidamus. --- Instar ergo dominicæ tota 50. dierum curricula celebrantur & omnes isti dies velut dominici deputantur. Resurrectio enim Dominica est. Nam in Dominica resurgens Salvator reversus ad homines est & post Resurrectionem totâ quinquagesima cum hominibus commoratus est. Æqualis ergo eorum necessarium ut esset festivitas, quorum æqualis esset & sanctitas. Sic enim disposuit Dominus, ut sicut ejus passione quadragesimæ jejuniis contristaremur: ita ejus resurrectione in Quinquagesimæ feriis lætaremur. Non ergo in Quinquagesima jejunamus, quia in his diebus nobiscum Dominus commoratur. Similiter in apologia David: Hunc numerum (quinquaginta dierum) læti celebramus post Domini passionem remisso culpæ totius debito, chirogravo quoque evacuato ab omni nexu liberi & suscipimus advenientem in nos gratiam Spiritus S. die Pentecostes, vacante jejunio, laus dicitur Deo & Alleluja cantatur.

Initium Quinquagesimæ est à septimana *in Albis* inde sic dicta, quòd Sabbato magno initiati per totam hanc septimanam albat h. e. albis vestibus in signum Christiani sui Candoris & Innocentiæ amicti incederent. Unde *ni-vens grex* à Poeta Neophyti dicuntur & *dies octo Neophytorum* ab Augustino epist. cxix. c. 17. Dominica autem, quæ Sabbato in Albis contigua est, *Dominica post Albas* vocari solebat. Intra Quinquagesimam porrò est *Festum Ascensionis*, cujus ante Augustini ævum specialis mentio vix datur. Ratio erat, quòd sub L. illis diebus festis contineretur. Mirandum itaque est, quâ audaciâ Polydorus Virgilius non hunc tantum, sed plerosque alios dies festos ex Apostolorum

Septimana
in Albis*

H

rum

rum institutioe derivet; puta Adventum Domini, Natalem & Circumcisionem ejusdem, Epiphania, Putificationem Mariæ, dies Quadragesimales, dominicam Palmarum, diem Cœnæ Domini, Parasceven, Pascha, Ascensionem Christi & Pentecosten. Sed de Polydoro h. l. valet Oweni jocus: Virgilio duo sunt, alter Maro, tu Polydore,

Alter, tu mendax, ille poeta fuit.

Tum demum Ascensionis dies peculiare cæpit esse festum, ex quo Quinquagesima cessavit. Ascendentis Domini vestigia per aliquot secula in monte Oliveti piâ veneratione à peregrinantibus ad loca sancta & quotidie à vicinis visitata, S. Hieronymus vel quisquis sit, antiquus sanè & eruditus libeilli de locis hebr. actorum apostolicorum auctor, memorat, dum ait: Mons Oliveti ad Orientem Hierosolymæ, torrente Cedron interfluente, ubi ultima vestigia Domini humo impressa hodieque monstrantur cumque terra eadem quotidie à credentibus hauriatur, nihilominus tamen eadem sancta vestigia pristinum statum continuo recipiunt, Denique cum Ecclesia, in cujus medio sunt, rotundo schemate & pulcerrimo opere conderetur, summum tamen cacumen, ut perhibent, propter dominici corporis meatum nullo modo contegi aut concamerari potuit, sed transitus ejus à terra ad cælum usque manet apertus. Hæc ille. Equidem nihil hîc determino, sed antiqui scriptoris testimonium veneror.

Dies Rogationum.

Sub his diebus *rogationum dies* continentur, quos circa A. C. cccclxvi. cum triduo jejunio & assiduis supplicationibus peragendos Mamertus, Viennæ in Gallia Episcopus instituit, pro impetrandis imbribus aut serenitate. Inductus ad hoc institutum erat ex vastis per Galliam terræ motibus, visisque spectris, lupis & ursis, qui portas Urbium ingressi & per plateas impunè vagati, homines terrebant. De origine

gine horum dierum Polydorus l. vi. de invent. rerum: Mamertus, inquit, primus instituit supplicationes five Rogationes, græcâ voce *Litaniæ*, vulgò *Processiones* vocant, vel certâ intermissas renovavit. Postea Gregorius *maiores litaniæ* composuit, quæ complectuatur preces pro Ecclesiæ, Politicæ & Oeconomix tum etiam privatorum salute.

Excipit Quinquagesimam dies Spiritui S. facer qui ^{Penrecost.} *Pentecostes* nomen, quod in eo dies Pentecostes complerentur, retinuit; Neque verò dubitamus de antiquitate hujus festi, sed an Apostolos habeat auctores, non æquè constat. In concilio Elibertino, quod Nicæno ferè coævum est, can. XLIII. in contemtores hujus festi pænâ canonica Patres, rigidi morum censores animadvertunt h. m. Pravam institutionem emendari placuit, juxta auctoritatem Scripturarum, ut cuncti diem Pentecostes celebremus; quod qui non fecerit, quasi novam hæresin induxisse notetur. Sub finem Seculi XI. in Concilio à Constantiensi Episcopo constitutum est, ut festum paschatis tribus diebus tribusque itidem Pentecostes festum celebraretur, qui mos hodiernum perseverat, cum antea Pascha integro octiduo, & Pentecoste unico die ageretur.

Pentecosten *Festum SS. & adorandæ Trinitatis* excipit, ^{F. Trinitatis,} qui quidem dies semper in ecclesia, ex quo inter majora solennia computata est Pentecoste, religiosè traductus est, verum ex eo capite, quòd esset *Octava* Pentecostes: semper enim magnorum solennium Octavæ velut eorundem appendices habitæ fuerunt, exemplo à Judæis sumto, quibus divina lex Octavas celebrandas imperat Lev. XXIII. Sed quis primus Octavam Pentecostes SS. Trinitati consecravit, non liquet. Gregorio VI. R.P.A.C. 1000XXXIV. hoc institutum Durandus, sed nulla auctoritate subnixus tribuit. l. VII. rationalis temporum c. 24. Nos per prima IIX.

Secula expressam hujus festi mentionem reperire nondum potuimus. Unde Evangelium quoque, quod hoc die legitur (Seculo autem IIX. diebus dominicis & festis suæ ex Evangeliiis & Epistolis lectionis assignatæ creduntur) non de SS. Trinitatis, sed Regenerationis mysterio agit, forte propter informandos Neophytos, qui statim paschæ vel pentecostes tempore baptizari solebant. Nam extra paschatis & pentecostes sacras hebdomadas baptismum ferè non fuisse, nisi *Clinicis* vel *Grabatariis* collatum, fusè ex SS. Antiquitatibus Vir multijugæ lectionis & de Republica literaria, meritissimus Gerh. Vossius disp. xvi. de Baptismo demonstrat th. vi. Eam consuetudinem adhuc Caroli M. ætate receptam fuisse, patet ex capitulari lib. v. c. 104.

F. Johannis
Baptistæ

A Festo Trinitatis in nostris Ecclesiis solennis est *Natalis Johannis Baptistæ*, quem jam V. Seculo celebratum fuisse alii ex Maximi Taurinensis homilia eodem die dicta probant; alii autem ex Concilio Agathensi, quod pro restitutione ecclesiast. disciplinæ A. C. 1061. habitum fertur: In eo enim Patres Natalem S. Johannis inter maximas festivitates connumerant. Ita enim can. 21, ajunt: Siquis extra parochias, in quibus legitimus est ordinariusque conventus oratorium in agro habere voluerit reliquis festivitatibus, ut ibi Missas teneat, propter fatigationem familiæ, justâ ordinatione permittimus. Pascha verò, Natali Domini, Epiphania Domini, Ascensione Domini, Pentecoste & Natali S. Johannis Baptistæ & si qui maximi dies in festivitatibus habentur, non nisi in civitatibus aut parochiis teneant.

F. Visitationis.

Baptistæ Natalem Festum *Visitationis* Mariæ subsequitur, quod Seculo XIV. ad finem vergente Urbanus VI. ut B. Dei genitricem contra Antipapam suum Clementem VII. sibi propitiam haberet, primus condidit & indulgentiis

tiis mactavit. Felici autem successu Concilium Basileense A. C. c10 cccc xxxi. habitum fess. XLIII. confirmavit ad invocandam B. Virginem, ut suis ipsa pedibus Turcarum eo tempore grassantium insultus protereret, quemadmodum suis pedibus in itinere ad cognatam suscepto montana conculcasset.

A Festo Visitationis ad diem *S. Michaelis* progredimur, cujus hæc fertur origo. Sub finem V. Seculi in monte quodam Apuliæ, Gargano, crypta inventa est, quæ ex Archangeli apparitione per Orbem Christianum valde inclaruit, in honorem S. Michaelis consecrata crebrisque peregrinationibus frequentata est. Memoriam dedicationis cryptæ anniversariam & apparitionem S. Michaelis inter publica sacra quotannis referendam Gelasius I. duxit circa A. C. ccccxciii. ad quem annum vide Conditorem Annalium.

Quod ad Sanctorum memorias & *Natales Martyrum* attinet, ex Eusebii l. v. c. 15. haud obscure colligitur jam sub Antonino Pio h. e. circa Seculi II. medium Christianos consuevisse celebrare memorias sanctorum, qui in album martyrum erant relati, atque annuos & solennes ad eorum sepulcra agere conventus. Sic enim ibi Christiani, qui Polycarpi ossa condunt, loquuntur: Nos tantum ossa illius nacti condidimus, ubi id fieri decebat, ubi etiam, quoad fieri potest, congregatis cum exultatione & gaudio Dominus Natalem martyris sui diem, cum ad memoriam eorum, qui antea certarunt & ad futurorum exercitacionem convenerimus, celebrare largietur. De Confessoribus in carcere mortuis S. Cyprianus clero suo absens hunc in modum scribit: Annotate dies eorum, quibus excedunt, ut commemorationem eorum inter memorias martyrum celebrare possimus, quanquam Tertullus fidelissimus

mus & devotissimus frater noster --- scripserit ac scribat & significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitui transeant ut celebrentur hîc à nobis oblationes & sacrificia ob commemorationes eorum. Et aliâ epist. de Laurentio & Ignatio : Sacrificia, inquit, pro eis semper offerimus, quoties martyrum passiones & dies anniversariâ commemoratione celebramus. Ita ergò jam puriori illo ævo magna constantiæ martyrum admiratio & incredibilis in eos amor effecit, ut non ossa tantùm & cineres ipsorum cum curâ colligerent & in cæmeteriis honestè recondiderent, sed eorundem quoque Natales h. e. dies, quibus è mortali hac vita ad æternam illam transierant, anniversaria solennitate recolerent, quanquam ea res lapsu temporum, ubi cultus Sanctorum ultra decorum auctus est, in superstitionem vertit. Sed de Festis Apostolorum aliorumque Sanctorum, Nicolai, Stephani, Gregorii scholarum Patroni, Martini &c. menologia græcorum, & martyrologia latinorum videantur.

F. cathedra

Reliquis diebus festis *F. Cathedræ Petri* (*S. Petrus Stultfeyer*) jungimus, cujus antiquitatem non tantùm ex martyrologio Vener. Bedæ, Usuardi & Adonis Trevirensis, sed vel maximè ex S. Augustini sermone quem eo die ad populum habuit, estque sermo xv. de Sanctis. Bellarminus l. i. de Rom. Pont. c. 14. probat. Titulus sermonis est: De cathedra Petri, & ; in festo cathedræ Petri. Origo festi hæc est : Petrus primus ex Apostolis officium episcopale exercuit. Ecclesia igitur in memoriam primi egressus Petri ad gentes festum cathedræ dedicandum illi duxit non sanè cathedræ alicujus particularis (quia nulli particulari cathedræ se aut ipse aut ullus apostolorum alligaverat) sed cathedræ ecclesiasticæ in genere. Unde S. Augusti-

gustinus in illo sermone, in quo Festi cathedræ institutio-
 nem tradit, nec Antiochenæ, nec Romanæ cathedræ, sed
 functionis episcopalis Petro à Christo concessæ meminit,
 quam quia xxii. Febr. exerceri cæptam putant, quando
 post vincula è Judæa Act. xii. egressus ad gentes Antiochi-
 am se contulit, non eo tantum die, sed post illa sub titulo:
 Cathedræ Antiochenæ solenne fuit hoc festum. Avo-
 rum demum memoriâ Paulus iv. (teste Bellarm. l. 2. de
 R. P. c. vi.) Festum Romanæ cathedræ seorsim instituit at-
 que ita apud Pontificios contra antiquos mores Festum
 cathedræ duplex est, Antiochenæ alterum, alterum Ro-
 manæ. Ad eum fere modum hæc ex SS. Antiquitatibus
 Vir earundem callentissimus M. Ant. de Dominis l. iv. de
 Rep. Eccl. c. i. §. 25. deducit. Ostendi solet eo die sella li-
 gnea Romæ in Basilica Vaticana, in qua Petrum
 Hieromonarchiæ suæ, quem falsò jaçant, fundatorem
 xxv. annos & ultra sedisse ferunt. Sedem quidem ligneam,
 quæ Jacobi Hierol. fuerit cathedra, usque ad Constanti-
 ni M. tempora per tot tantaque Judaici populi naufragia,
 post pavendum illud Hierosolymorum excidium inte-
 gram servatam, quam episcopi Successores decenti hono-
 re custodierint, Eusebius l. vii. hist. c. 14. refert, sed de
 sella Petri in urbe Roma altum in primæva antiquitate si-
 lentium est. Ritus cæteros hujus festi apud Baronium in
 martyrol. Rom. invenies.

Sed nec *Encænia* vel festum dedicationis Templi præ-
 terire volumus. *Renovalia* latinè dicere possis, quod græci <sup>F. Encæni-
orum.</sup>
 ἡμέρῃ ἐγκαινίων, ab innovando Encænia vocarint. Germ.
Kirchmesse / *Missa* i. e. festum τῆς κτερίων, vocatur, vel *Kirch-
 weibe* i. e. consecratio Templi: *Weihen* enim apud ve-
 teres germanos sacrare est. Unde *Weiberauch* odor san-
 ctus, quòd thus in sacris offerretur. Et *Weihenacht* nox
 sancta

sancta; Conditæ autem sunt Encænia ad imitationem Judæorum. Quo ritu Moses τῆς οὐρανῶν ἢ μαρτυρίας die Stiffts-Kirche im Volck Israel) consecravit. Ex. xx. quanto cum apparatu Rex Salomo Templum, variis oblatis hecatombis Deo dicavit 1. Reg. iix, 63. legere est. Renovata est dedicatio Templi post captivitatem Babylonicam cum gaudio atque sacrificiis lautissimis. Esdr. vi, 16: Josephus ἀναγεωτικὴν hanc festivitatem dixit. Sed annua Encæniorum repetitio sub Juda Maccabæo constituta est, dum is Jovis idolum Templo impositum destruxit, combussit, Templum repurgavit Deoque Israelis, Sacris publicis juxta legem peractis, reddidit atque edixit, ut memoria dedicati templi anniversaria esset totaque Israelis concio collecta renovati altaris festum per integrum octiduum cum ingenti ageret gaudio. Ex eo tempore, scribit Josephus, mos hic (quotannis festum reparati cum ceremoniis Templi celebrandi) apud nostros obtinuit vocamusque hanc *festivitatem luminum*, opinor ideò, quòd ex insperato nobis illuxerit tanta felicitas l. xii. Antiquit. Jud. c. xi. Mentio hujus festi, cui ipse servator interfuit in N. T. Joh. X, 22. extat, ubi B. Lutherus vertit: *Es war aber Kirchweih zu Jerusalem.*

Eum morem imitata est Ecclesia. Nam ut circa constitutiones ecclesiasticas semel annotemus, quod semper observandum est, mos erat apostolis, ut in ritibus se Judæis propter eosdem lucrandos conformarent. Hinc primi Concilii canon apostolicus de idolothytis non comedendis Act. xv, 29. prodiit. Paulus Timotheum circumcidit propter Judæos, qui erant in illis locis Act. xvi, 3. Apostoli Sabbato quoque suas egerunt Synaxes: quin & gentilium sacris ad suos usus ob eundem finem multa converterunt, quod vel unius Pauli (ex ara **IGNOTO DEO** dedica-

dedicata occasionem sumentis verum Deum Athenis prædicandi) exemplo constat. Sanctam hanc Apostolorum prudentiam Patres ac Proceres Ecclesiæ secuti, cum animadverterent judæos olim & paganos nihil magis à fide in Christum avertere, quàm opinionem novitatis, multos è synagoga legis priscae ritus diesque festos, multa quoque nomina & è gentilium sacris petitas ceremonias retinuerunt atque pia interpretatione ad sua sacra traduxerunt, quâ de re præclare differentem vide Casaubonum Exercit. xvi. ad Annales Baronii num. 43. Atque ut in præsentibus de diebus festis materia me contineam è synagoga prodierunt Pascha, Pentecoste, jejunia quatuor temporum, & de quibus nunc agimus; Templorum Encænia.

Dedicandi quidem vel inaugurandi templa consuetudinem ex instituto Felicis qui A. C. cclxxii. Romanus fuisse episcopus creditur, cæpisse fama est. Unde Gregorius quoque Nazianzenus orat. in novum Dominicum, Antiquam, ait, esse legem, ut Encænia i. e. consecrationes Templorum honorentur, sed annua Encænia ante Constantinum M. vix reperias. Is enim primus ad exemplum Salomonis, Templum Hierosolymitanum Martyrium illud magnum concionibus, precibus pro salute ecclesiæ & pro pace Reipublicæ conceptis atq; cum ingenti jubilo circa A. C. cccxxxv. dedicavit, tempus quoque annum constituit, quo memoria hujus beneficii innovaretur Deoque pro concessa Ecclesiis pace agerentur gratiæ, teste Nicephoto l. 8. hist. eccl. c. 50. Secuta sunt A. C. cccxli. Encænia Templi Antiocheni, quod Domini cum *Aureum* vocabant, habitoprius in urbe Concilio *in Encæniis* propterea dicto, A. C. cccxciv. Encænia Templi Ruffiniani fuerunt, quod *Apostolæum* nominârunt &c. Atque ita paulatim cujusvis Templi natales vel Encænia in Ecclesiis & parochiis anniversaria sollemnitate agi cæperunt.

Denique sicut Rex Salomo post peracta Encænia Proce-
res & collectam multitudinem lauto epulo excepit 1 Reg.
VIII. Judas quoque Maccabæus, annuo encæniorum festo
condito, sumtuosum quoddam ac splenditum epulum popu-
lo exhibuit, teste Josepho l. c. ita etiam Christianis in more
fuit positum, ut in suis Encæniis (bey ihren Kirchmessen)
uci sacrificia labiorum, laudum & precum Deo immolaf-
sent, hilatiter & pancratice viverent & solenni epulo diem
eum festum honorarent.

Ultimo loco *jejunia IV. temporum* spectanda duximus, quæ
adhuc precibus & sacris publicis apud nos aguntur. Quot-
quot de horum origine scribunt, in eo consentiunt, ab ec-
clesia ad Synagogæ imitationem hæc jejunia fuisse indicta.
Nam de quatuor solennibus quovis anno jejuniis Prophe-
ta loquutus Zach. iix, 19. ait: Hæc dicit Dominus exercitu-
um, *jejunium quarti & quinti & jejunium septimi & jejuni-
um decimi* erit domui Judæ in gaudium & solennitates præ-
claras. In ecclesia autem Calixtus Papa & martyr in ca-
thedra A. C. ccxxi. constitutus, quatuor temporum jejunia
instituisse fertur, qua de re Platina in ejus vita: Calixtus
Pontifex in tanta rerum perturbatione tamque sceleratis im-
peratoribus nequaquam ab instituto suo discedens constitu-
it, ut ter in anno jejunaretur, die Sabbati præsertim frumen-
ti, vini & olei gratia secundum prophetiam videlicet quarto
mense septimo & decimo, inchoando annum hebræorum,
more. Verùm postea mutatâ sententiâ id in quatuor anni
tempora transtulit, vernale sc. æstivale, autumnale & hye-
male, quibus temporibus deinceps ratio sacrorum ordinum
habita est, cum antea id quidem tantummodò mense De-
cembri fieri consuevisset. Quibus temporibus agi hæc so-
lennia jejunia oporteat, in Concilio Salegunstadiensi, quod
sub Benedicto II. in Tomis habitum fertur, definitur. No-
tan

tanter de jejuniō circa Pentecosten Patres præfatæ synodi
ajunt: Si quando jejunium mensis Junii in vigilia Penteco-
stes secundum prædictam regulam evenerit, non ibi cele-
brandum erit, sed in ipsa hebdomade solenni Pentecostes &
tunc propter solennitatem Spiritus S. Diaconi *dalmaticis* in-
duantur & *Alleluja* cantetur & *Flectamus genua* non dicatur.
Unde hoc *jejunium lætitiæ* à pontificiis vocari solet, quan-
quam non nemo contradictionem in adjecto id esse existima-
verit. A. C. clō cv. Notrhufæ in Urbe nunc imperiali Syno-
dus magna episcoborum & Abbatum multitudine collecta
inter alia ad sacram disciplinam pertinentia jejunii quatuor
temporum observantiam sacrosanctam esse denuo jussit. O-
lim quidem de jejuniō, quod Festo pentecostes contiguum
est disputatum fuit, an intra hoc octiduum jejunare con-
gruum sit? Sed Resp. Leo serm. i. de jejuniō Pentecostes: Post
sanctæ lætitiæ dies, quos in honorem Domini à mortuis re-
surgentis ac deinde in cælos ascendentis exigimus postque
acceptum S. Spiritus donum salubriter ordinatum est jeju-
nium, ut si quid forte inter ipsa festivitatum gaudia negli-
gens libertas & licentia inordinata præsumsit, hoc religiosæ
abstinentiæ censura castiget. Hæc Leo. Rationem denique
hujus quatuor temporum jejunii Scriptores Officiorum
ecclesiasticorum reddunt istam, ut annum cum singulis su-
is partibus Vere, Æstate, Autumno atque Hieme Deo con-
secremus memores, Deum esse, qui bonis suis annum
coronat, ut semitæ ejus pinguedine stillent. Sed de Sacro-
rum Conventuum diebus hæc jam dicta sufficiant. De cæ-
teris videantur, qui ex professo de diebus festis scripserunt,
Durandus in rationali temporum, Thomas Naogeorgus
in regno suo papistico, quod heroico versu delineat: Ho-
spinianus in egregio volumine de origine & progressu Fe-
storum, Dresserus in enchiridio quodam, alii.

RATIO CONVOCANDI AD SACRA,

Tyrannis Ecclesiæ incumben-
tibus publico signo ad sa-
cram Synaxin convocari fideles commodè eon potuerunt.
Fortè igitur scire aliquis desideret, quæ tum fuerit ratio ad
sacrorum exercitia colligendi Christianos? Campanis & no-
lis uti non licuit, ne sacri conventus, quos in occultis, ab-
ditis & subterraneis locis fieri oportuit, Tyranno proderen-
tur. Uti itaque sunt internuncio aliquo, quem eleganter Igna-
tius vel quisquis auctor sit epist. ad Polycarpum *Cursor*
vocat, verba ejus hæc sunt: Decet Polycarpe *Ἰσομαναριστάτω*
concilium congregare Deo decentissimum & ordinare ali-
quem dilectum valdè habetis & Impigrum, qui pote-
rit *Ἰσόδεγμ. Ⓞ*, Dei cursor, vocari. Nim. Cursoris munus erat,
non literas tantum Synodicas ad ecclesias perferre, sed & fi-
deles vocare ad sacra. Neque enim vero nobis fit simile,
quod Amalarius Fortunatus de eccl. offic. c: 20. tradit, *soni-
tu lignorum* (ad eum ferè modum, quo hodiernum in Rom.
Ecclesia tribus ultimis Magnæ hebdomadis diebus, dum
campanæ non pulsantur, signum sacrorum tabula datur,
teste Durandol. vi. ration. temp. c. 72.) primos illos fideles fu-
isse convocatos. Nam nec ratio tristissimorum temporum
talem per plateas strepitum lignorum tulit, nec ea de re in
primæva antiquitate testimonium extat.

A moto persecutionum metu ea consuetudo invaluit,
ut *sacra ligna* pulsarentur. Pater hoc ex libello, qui de mi-
raculis S. Anastasii martyris Concilio Niæno II. oblatus est,
Ita enim ibi legitur: Cùm sanctæ civitati reliquiæ sacræ
appropinquassent, omnibus ea res fuit declarata &
significata. Itaque lætitiâ magnâ perfusi omnes sur-
gentes subito *ligna que sacra* pulsantes invicem obviam
facti sunt in veneranda Virginis Deiparæ æde, quæ appel-
latur Nova. Eum morem jam septimo adhuc seculo, in O-
riente

riente fuisse Annalium conditor ad A. C. lxxv. observat. Imò ad huc lignorum usum vice campanarum esse, de Christianis in Oriente Græcis & Jacobitis unà Hierosolymis agentibus in Templo asserit Jac. Wormserus in Itinerario terræ Sanctæ; ubi sepulchrum Domini describit, juxta quod non Patriarcha tantum Hierosolymitanus, sed omnium ferè Christiani orbis nationum aliqui inveniuntur monachi & sacrorum ministri, qui eo ventitantibus popularibus suis patrio ritu, rem divinam faciunt. De Græcis sic ait: Auf einer langen hülzernen Stangen raspeln sie lang / solchen ist ihre Glocke wenn sie zusammen kommen. De Jacobitis autem, quos vulgo Eutychnianismi arguunt, ita: Sie haben zwey Hölzer eines Messers lang / damit raspeln sie / wenn sie das Sacrament wollen reichen. Inter S. Anachoretas moris erat, ut horis canonicis aliisve sacris imminentibus *mal-
leo* quodam ad Ascetarum cellulas pulsaretur, teste Palladio in hist. Lausiaca. S. Hieronimus epist. xxvii, docet in claustris Sanctimonialium unam è sacro conventu altum exclamasse: *Alleluja*, quâ voce sorores ad sacra excitârit.

Tintinnabula itaque, nolas & campanas Christiani in suis sacris per aliquot secula non habuerunt. Apud ethnicos quidem usus *tintinnabulorum* valdè increbuerat, si quos ad thermas vel ad operas convocandos ducerent. Unde *æsthermarum* Mart. l. 14. epigr. dixit. Primum augustum fuisse Suetonius c. xci, in ejus vita refert. Is enim audita in somnis Jovis Capitolini querela cultores sibi abduci, ædis sacræ fastigium tintinnabulis ad januam positus primus rediivit. *Tympana* in sacrificio Matris Deum usitata refert Virgilius IX. *Æn.*

Tympana vos buxusque vocat Berecynthia Martis
Idææ. finite arma viris.

Eadem ferè cosuetudo Abyssimis Hierosolymis in sacello

Templi sacra tractantibus in prædicto Itinerario tribuitur
Die sechste / ait Autor, ist eine Nation / heissen die Abyssiner
und sind unter dem Priester Johan daheim ----- sie haben
(bey ihren Gottesdienst) zwei Heertrummeln und zwey Hül-
fer mit eisernen Ringen / und mit den Hölzern raspeln sie die
ganze Nacht und singen und tanzen dazu / und welcher am
besten springen kan / der ist der Audächtigste. Ita quidem ille.
Notum est in castris clangore *buccinæ* equites, peditesque
tympani sono ad sacra castrensia hodiernum convocari. *Tubæ*
usum apud Judæos agnoscit Josephus l. v. belli Judaicæ. 9.
dum excelsam turrim supra verticem pastophoriorum
conditam memorat, in qua unus de sacerdotibus post me-
ridiem steterit & septimum quemque diem *tuba* significat.
Apud Turcas ne hodiè quidem campanarum in sacris usus
est, sed quoties ad preces publicas coeundum est, Mezin
Sacerdos turrim templo vel Moschææ contiguam adscen-
dit & stentorea voce Exenochum, id est, invitatorium psal-
mum declamitat. Ibi verò quisquis domi est se lavat & un-
git & ad preces, quantum domestica negotia concedunt,
se præparat, scribit in Relatione rerum Turcicarum Rife-
bergius, cap. III.

In Ecclesia Occidentali usus tintinnabulorum maxime
Seculo V. invaluit, quorum cum Nolæ in Campania in-
gens esset proventus, à provincia, ubi primum grandio-
ra fieri cæperunt, *Campanæ* sunt appellatæ. Ita ergo per
aliquot secula Campanæ ecclesiis illatæ alium non præsti-
terunt usum, quàm quòd sacra publica suo sono denunci-
arint. Hinc antiqua companarum inscriptio:

Dum trahor, audite: voco vos, ad Sacra venite,
Loquor autem de Occidente: Nam in Orientalibus Eccle-
siis ante Seculi IX. medium ærea hæc instrumenta usui
in sacris fuisse vix reperias. In hist. Venet. circa A. C.
lcccc

Io cccclxv. de Duce Venetarum Urso Patriciaco refertur, primum eum fuisse, qui ad Michaellem Imperatorem Cpolititanum campanam græcis antea ignotam miserit, quibus A. C. Io cccxxii. græci cæperunt uti.

Crescentibus seculis non tantum tempora sacrorum denotarunt Campanæ pulsatæ; sed precum quoque solitæ sunt populos commonere. Gregorio contra Fridericum Imperat. agenti Albertus Cranzius lib. iix. Saxoniae suæ c. x. institutum tribuit ad pulsum campanæ conficiendi Eucharistiam. Sed Polidorus Virgilius l. vi. de inventoribus rerum c. 12. à Johanne XXII. papâ morem derivat ter circa omnem vesperam tintinnabula pulsandi, ut devote ab omnibus Ave Maria diceretur. Platina denique in Calixto III. auctor est, hunc Pontificem visis in aere Cometis tetrefactum non aliquot tantum dierum supplicationes indixisse, sed hinc inde per Urbes ordinasse, ut in ipso meridie pulsarentur campanæ omnesque de precibus contra Turcas hæreditarios Ecclesiæ hostes fundendis commonerentur. Unde adhuc pulsatur die *Betglocke*.

Quid? cum in Templis locisque Deo Opt. Max. dedicatis ad sacros usus campanæ essent suspensæ, easdem solenni ritu lustrandas vel ut vulgò loqui amant, baptizandas sequioris ævi superstitione duxit, quibus in pellendo tonitu nescio quam vim tribuant. Primus fuit Johannes XIV, ait Platina, qui ex Campania ab exilio rediit in publica lætitia Campanam Lateranensem miræ magnitudinis recens ære fusam, antequam super Campanile elevaretur, consecravit, aquâ benedictâ abluit & à suo nomine Johannem dixit, quæ superstitione in Papatu adhuc perseverat. Ritus Baptismi campanarum, quo nimirum modo campanam circumeant, aquâ S. & sale

& sale conspergant, eluant, inungant, sacris innotent crucibus; suffitu & suavi odore excipiant, quas quoque preces pro excitantiâ in fidelibus ad Sacra vel ad solennes preces convocandis devotione profundant, qui nosse voluerit, ex historia Sleidani lib. XXI. eosdem petat; cui addi poterit Paulus Vergerius in lib. de origine campanarum & aquæ lustralis. Quantopere verò Maximilianus cum Statibus Imperii Romani de non ferendo hoc more fuerit conquestus, videre est ex centum grauinibus Germanicis nupèr h. l. recusis, ubi publica hæc querela extat: Suffraganei excogitarunt, ut solùm ipsi & nullus alius Sacerdos laicis campanas baptizent: credunt deinde simpliciores ita affirmantibus suffraganeis tales campanas baptizatas dæmones pellere & tempestates. Quapropter innumeri plerumque adhibeantur compatres, præcipuè verò, qui fortuna pollent, exorantur. Hi baptismationis tempore funem, quo campana religata est, tangunt & suffraganeo præcinnente (quemadm. in parvulorum baptismatione fieri solet) respondent & campanæ nomen ingeminant vesteque nova sicut & christianis fit, campana induitur, Inde ad sumtuosa properatur convivia &c. καὶ ταῦτα μὲν ταύτη.

Ubi alia nos fortuna respexerit, paulo specialibus ipsum sacrorum antiquæ Ecclesiæ Ordinem, puta priscos Orandi ritus, Psalmodiam veterum, Lectiones sacras, Tractandi vel concionandi methodum & cum primis sacro olim silentio venerabilem *Fidelium missum* i. e. ritus in Eucharistia, usurpari solitos Tuo, Benevolè Lector, iudicio submittemus. Moniti meliora!

F I N I S.

Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

7

8

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

YN ΘΕΩ.

DE

primitivæ Ecclesiæ

PUBLICIS,

IS ET DIE-

S FESTIS

HIRIDION

collectum

a atque studio

MI HILDEBRANDI.



MESTADII,

HENNINGI MÜLLERI,

MDCCCLII.